


# PALAESTRA LATINA



ANN. XLI (Fasc. II) — N. 214

M. JUNIO — A. MCMLXXI

# PALAESTRA LATINA

Trimestres litterarum latinarum commentarii CaesarAugustae edendi

*Praeses:* J. M. Ciller, C. M. F. *Administrator:* Henricus Arenas, C. M. F.  
*Moderator:* Marianus Molina, C. M. F. *Curator technicus:* Jesus Aspa, C. M. F.  
*Praecipui scriptores:* Josephus M. Mir, C. M. F.; Josephus M. Jiménez, C. M. F.

Pretium mittatur oportet ad administratorem:

San Antonio M.<sup>a</sup> Claret, 9 — ZARAGOZA (España)

Scripta ad moderatorem: Colegio Menor, CALATAYUD (Zaragoza - España)

Constat in Hispania et America Hispanica: 80 pesetis; in Gallia: 10 francis; in Italia: 1.200 libellis; in Germania: 8 marcis; in Anglia: 15 solidis; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus

---

Depósito legal Z. 191. - 1966

Editur Ordinarii et Superiorum licentia

## I N D E X

ANN. XLI (Fasc. II) — N. 214

M. JUNIO — A. MCMLXXI

|   |    |
|---|----|
| B. POVSIC, <i>De Congressu Bucurestiensi et de peregrinationibus nostris</i> ... .. | 49 |
| J. MARINELLI, <i>Nova caritatis itinera</i> , IV ... ..                             | 63 |
| J. M. MIR, C. M. F., <i>Ciceronis specimina, Cato Major de senectute</i> ... ..     | 69 |
| F. ALOISE, <i>De Aloisio Tripepi Cardinale</i> ... ..                               | 77 |
| BIBLIOGRAPHIA, M. Molina, C. M. F. ... ..   | 79 |

# PALAESTRA · LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII

A SOCIIS CLARETIANIS EDITI

---

ANN. XLI (Fasc. II). — N. 214

M. JUNIO

A. MCMLXXI

---

## DE CONGRESSU BUCURESTIENSI ET DE PEREGRINATIONIBUS NOSTRIS

Cum Americanae Philologicae Societatis moderatores atque Americanae Classicae Sodalitatis praeses, Vilelmum Seaman dicimus, nos ad Conventum Omnium Gentium Latinis Litteris Linguaeque Fovendis legatum publicum mittendum decrevissent, ut in conventu illo eorum personam gereremus, magno nobis hoc et honori et gaudio fuit. Hic conventus Bucurestiis in Dacoromania a die 28 mensis augusti ad diem 3 mensis septembris anni 1970 celebratus est. Ad legati munus absolvendum iter nostrum jam die 25 mensis julii inivimus. Primum ex aeroportu Detroitensi Londinium petivimus. Cum hora decima post meridiem vel, ut majorum sermonem melius redoleamus, cum secunda vigilia ex aeroportu Detroitensi evolavissemus, jam post paucas horas solem orientem conspeximus. Ne hoc nobis, viro sendentario et horario assueto, parvi momenti phenomenon fuisse, benevole lector, credas. Hoc profecto miraculum quoddam naturae fuit, quod ante sol ortus est quam debuit. Nam «Aurorae aurei digiti», ut poetae verbis utamur, quattuor horis prius apparuerunt quam solebant. Vix Anglorum terram tetigimus cum jam Coloniā Agrippinā alio velivolo, Tridenti sc. illo petivimus, quae Anglorum navis aëria est praecipua ad media itinerum intervalla faciēda, etsi in hoc genere Francogallorum Caravelle, quam vocant, notior, nostra tamen navis, quam Boeing 727 appellant, amplior et commodior sit. Adhuc velivolum prope a terra erat ac satis erectum superiorem aethera citissime petebat, cum jam puer et puellae duae (tot enim erant, ni fallimur), cenulam viatoribus (quos quomodo vocemus aërios an quid, nescimus) adparabant. Eos, ut noster est mos,

attente spectavimus, quomodo officia sua absolverent ac sese gererent. Timebamus, vera dicimus, ne carrulus ille omnibus cibis potationibusque refertus per mediam navem prolaberetur ac in nosmet irrueret: sed illi tanta arte tantaque dexteritate quas, ut opinamur, ex undarum forsitan jactantione didicerant (nam Angli, ut notum, omnium gentium in navigandi arte peritissimi sunt) ad caelestia officia persolvenda tam bene transtulerunt, ut ne gutta quidem ex repletis poculis effunderetur. Inerat enim in eis tanta artis et dexteritatis et gravitatis et copia et vis, ut nobis permagnam moverint admirationem. Deerat tamen in eis, ni fallimur, illa nostrarum puellarum aperta festivitas et facilitas, quae homines tanto opere alliciunt atque conciliant. De rebus tamen quas magis animi affectu quam mentis acumine judicamus, cum iis, qui aliter ac nos de eis sentiunt, nolumus contendere.

Nondum merendam finivimus cum jam Dusseldorfium descendimus, unde frater noster nos autoraeda Coloniam Agrippinam vexit. Est Colonia Agrippina urbs a Romanis in Rheni fluminis ripa condita, quae celeberrima est propter ecclesiam illam cathedralem duabus turribus campanariis perinsignibus munitam. Hanc ergo ecclesiam visimus et hoc unum monumentum dignum est ut viator Coloniam Agrippinam petat, sed vidimus quoque musivum illud Romanum quod nuper in hac urbe inventum est, visimus cum Alberti Magni tum Duns Scoti sepulchra, virorum in philosophandi vi et acumine non mediocrium.

Sequenti die Archiabbatiam Ottiliensem in Bavaria petivimus. Caelum tam serenissimum aerque tam purissimus fuerunt, ut per multa milia passuum de aeroplano videremus quae infra nos erant. Vidimus Rheni flexus sescentos, vidimus flumina in eum adfluentia, vidimus colles et valles, vidimus silvas et arva, vidimus, ut vix oculis crederemus, innumeros pagos alios aliis vicinissimos ac viis inter se conjunctos. Tota regio operibus et hominibus fervebat. Ex multis volatibus hunc inter pulcherrimos referre nobis placet. Nam nec aer serenior nec regio magis varia dari potest.

Archiabbatia Ottiliensis in colle amoenissimo et solitario sita est. Ibi monachi Benedictini vitam piam agunt. Multi fratres sunt qui in agris variisque operibus laborant, ut ea quae ad victum pertinent suppeditent, alii vero patres sunt qui magis in studia incumbunt ac sacra faciunt. Omnes suo modo Deo serviunt ac hominibus prodesse conantur.

Multae quoque silvae circa archiabbatiam sunt, ubi facile ambulari potest. Inest insuper et deversorium et popina in quibus viatores corporis vires parvo pretio reficere possunt. Domorum fenestrae et horti floribus abundant. Omnia tam nitida apparent ut rerum cura et ordo longa apud Bavaros videatur esse consuetudo. Locus vere ad quiescendum et ad vires tum corporis cum animi reficiendas quam maxime idoneus. In illo ergo loco una cum amico nostro Cae-

lesti Eichenseer, patre et viro religiosissimo, nobis contigit per nonnullos dies vivere et de litteris latinis sermones habere. Antequam in Italiam proficisceremur, Joannem Werner, Vocis Latinae editorem, qui Ottobrunnae non longe a Monachio una cum uxore sua vitam agit, visere placuit.

Kalendis augustis Augustam Taurinorum petivimus. Alpes transvolavimus tam alte, ut colles esse viderentur. Sed nives, quibus operatae erant, earum altitudinem manifestam faciebant. Primum Mediolani, ubi pernoctavimus, paululum consistimus, deinde ferrivia Augustam Taurinorum nos contulimus. Quam in urbem ubi primum pervissemus, deserta esse videbatur. Nam feriae augusti, quas vocant, agebantur et cives omnes litora et montes petiverunt, ut calorem aestivum effugerent. Ipse amicus noster ex vico Andrate, qui in montibus apud Eporediam situs est, Augustam una cum uxore sua, magno certe suo incommodo reversus est, ut nos domo sua exciperet. Fuit commoratio nostra in Italia felicissima. Nam cum primum in amici domum ingressi essemus et uxorem ejus convenissemus statim nos in familiam admissos, ut ita dicamus, esse conperuimus. Cum vero mox et maritus advenisset jam familiarissime colloquebamur. Quamquam Orestem Badellinum visimus, hoc enim amico nostro nomen est, ut de Grammatica Latina loca dubia dilucidare conareremur, tamen tanta familiaritate tantaque facilitate usi sumus, ut jam veteres amici esse videremur. Quodammodo veteres amici eramus, cum jam multos per annos litteras inter nos dabamus et accipiebamus. Cum res, quae ad officium pertinebant, absolveremus, prandium luculentissimum ad Valentinum habuimus. Est enim haec popina inter omnes Augustae Taurinorum frequentissima et notissima. Postero vero die Clarascum, ubi villa amico est, petivimus ibique biduo commorati sumus. Nos jam in Tusculana illa Ciceronis esse videbamur.

Mediolanum ferrivia reversi, aeroplano Romam petivimus. Roma nobis jam diu nota est. Nam studiorum universitas Romana alma mater nobis fuit, quae doctoris gradu nos donavit. Sed in tantam urbem redire et loca antiquissima ac per totum orbem terrarum nota post tot annos revisere novo nos affecit gaudio atque laetitia. Romae convenimus Josephum Mir, in Instituto Altioris Latinitatis professorem, a quo multa didicimus et dubia solvimus. Insequenti die Institutum illud Altioris Latinitatis in quo omnia latine traduntur visimus. Hoc institutum in Monte Sacro, in quem olim plebs Romana a patribus secesserat, rem lectoribus nostris non ignotam narramus, situm est.

Rebus nostris Romae confectis, Ragusam, Dubrovnik Jugoslavi vocant, profecti sumus, quae urbs loci amoenitate et antiquitatis memoria gloriosissima est, deinde Zagabriam, urbem Croatorum caput atque principem, petivimus, ubi uxor cum filiolo nostro Thoma nos expectavit. Exinde Ribnicam, oppidulum in Slovenia fama non igno-

tum, petivimus, ubi per quattuordecim dies commorati sumus. Est apud Ribnicam pagulus quidam perparvus, Goricam Vas vocant, arboribus conditus et amne ejusdem nominis refrigeratus, per quem uxor nostra puellula cursitare solebat. Hunc locum visitavimus ibique diu habitavimus non vici sane fama, sed loci consanguineorumque caritate allecti et districti. Ibi post tot tantosque errores aliquantulum apud soceros nostros conquievimus, donec novis curis novisque muneribus coacti et compulsi nova itinera ingressi sumus.

Reliquimus ergo locum carum et ex aeroportu Zagabriano Bucurestios aeroplano Boeing 727, societatis cursibus aeriis procurandis Lufthansae, petivimus. Quam pulchrum est silvas ingentes et Danubium flumen magnis flexibus ad mare profluentem ab alto mirari. Icaro illi mira contemplanti, sed nimia, eheu, audenti, similes esse videbamus. Sed nos errore ejus sapientiores prudentioresque facti, itinera terrae propria tenuimus Bucurestiosque sani et salvi pervenimus. Nos quoque mira vidimus, vidimus urbem quam nostri Belgrade, antiqui Singidunum vocabant, utraque in ripa Danubii jacentem, vidimus Danubium ad mare leniter profluentem, vidimus colles et silvas et vicos innumerabiles, dum jam navis nostra aerea paulatim descendere incipiebat. Dum haec primum quidem lentissime ut vix percipere possemus, deinde citius donec singulas res jam bene distingueremus. Mirum quam singula crescunt ac cito majora fiunt velivolo ad terram descendenti! Jam infra nos Bucurestii in planitie vasta late sese extendunt, jam aeroplanum terram attigit, jam ad caput aeroportus pervenit. Hi sunt denique Bucurestii, quos pueri in ludis didicimus pulcherrimos habere hortos!

In aeroportu Nicolaus Barbu, Conventus Omnium Gentium Litteris Latinis Linguaeque Fovendis praeses, nos benigne excepit. Quamquam eum numquam antea vidimus (nomen ejus ex scriptis tantum nobis notum erat), tamen sive propter ejus humanitatem, sive quia eorundem studiorum disciplinarumque amore et studio ac nos flagrat, simul atque eum vidimus, nescimus qua dulcedine et gaudio affecti sumus quasi familiarem et amicum notum longam post peregrinationem reviseremus. Aderat quoque filius ejus natu satis grandis ac, ut videbatur, rerum hominumque cognitor optimus. Nos humanissime ambo exceperunt et filii autoraeda Bucurestios subvecti sumus.

In deversorio, cui Athenée Palace nomen, habitabamus, conventus sessionibus vero in Facultate Juris intereramur. Sessio auspicalis die 28 mensis augusti, hora 9:30 ante meridiem, coram Josepho Maurer, Consilio Dacoromanae Reipublicae Socialis praeside, habita est. Multarum nationum legati verba fausta atque felicia fecerunt ut omnia, quae in conventu agerentur, bene agerentur. Mirum fuit tot homines tam variis ex gentibus ortos tam bene et distincte latine loqui, ut saepe ne verbum quidem pronuntiaretur quin facile intellegeretur. Nec hoc parvi esse momenti, benevole lector, existimes, prae-

sertim si prae oculis habeas latine loquendi consuetudinem vel in conventibus de latinis litteris agentibus jam diu excidisse!

Die 29 mensis augusti ferrivia Constantiam, quam antiqui Tomos appellabant, petivimus. Cum eo pervenissemus, ad locum amoenissimus jucundissimumque in media silva situm duabus raedis cursualibus nos transportaverunt, ubi luculliane, sit venia verbo, cenavimus. Nec tamen solum ad edendum et bibendum, verum etiam ad mentem relaxandam optime provisum est. Fuerunt enim et saltatores, qui Dacoromanas saltationes mirum in modum expresserunt. Omnibus hominum desideriis amici nostri Dacoromani providerant. Fuit enim et musica, ut ii, quos saltandi desiderium, ne dicamus cupido, caperet atque urgeret, hoc quoque facere possent, quod a nobis, majorum dignitatis atque gravitatis custodibus severissimis patrumque morum cultoribus servatoribusque fidelissimis quam longissime absit. Et quid de Baccho dicamus? De Baccho illo dicimus, vivo et vero, qui vinum in buccam sitientibus magna ex amphora majoreque cum dexteritate fundebat?

Cena finita, bene pasti et bene poti, Mamaiam petivimus, quae est urbs vel melius litus Ponti Euxini, ubi recentissima deversoria, omnibus vitae commodis novisque adminisculis praedita, aedificata sunt.

In decimo tabulato cujusdam deversorii (nomen nobis excidit) corpus fassum relaxavimus. Ne credas, lector, nos pedibus centum scandisse scalas, sed commodo anabathro commode ante cubiculi januam evecti sumus. Deinde aquae cum calidae tum frigidae dejectu lavati et cuncta diei itinerisque immunditia liberati in lecto tepido ac molli tandem quievimus. Mane postquam barbam rasimus (ad id enim hominum genus fata nos pertinere voluerunt cujus mentum hoc honore decoratur) altero aquae deinctu nos lavavimus. Tam bene lavati et recreati longe per planitiem longiusque per mare oculis omnia perlustravimus. Nec frustra. Nam innumerabiles alcedines alis se librantes, mirabile visu, spectavimus, vidimus naves medio in mari, vidimus colles longe surgentes, vidimus et spectavimus et bene nobis erat. Deinde descendimus et per litus ambulavimus cum amico nostro Caelesti, lentissimo quidem pede, ut nobis est mos. Hora vero septima matutina, ut hodie dicimus, jentavimus et deinde magnis illis duabus aitoraedis, quas supra memoravimus, Tomos iterum petivimus urbemque celeberrimam diligenter visimus.

In area urbis, quam maximam putamus, monumentum Ovidio erectum est. Poeta, toga amictus, cogitabundus et maestus effictus est. Circa hanc statuam congregati Nicolaum Barbu audivimus humanitatem Ovidianam laudantem atque extollentem verbis tam miris felicibusque, ut Ciceronem redivivum crederemus. Inerant enim in eo et verborum et locutionum copia atque concinnitas, inerant quoque illi animi motus qui hominum pectora tangunt. Vir ea, quae dicebat et sentiebat. Hac oratione finita, visimus forum Tomitanum

recentissime inventum tam pulchro opere musivo ornatum, ut inter omnium pulcherrima opera musiva referre nobis placeat. Nam ante hos nonnullos annos aedem quandam Tomitae nostri aedificare voluerunt et, quis suspicatur, aedificium quoddam antiquum invenerunt, cujus pavementum opere musivo pereleganter ornatum erat. Non longe a foro horrea quoque lateribus exstructa operarii comperuerunt, ubi amphoras, varias merces continentes, ancorasque multas reconditas effoderunt. His perspectis, Museum Antiquitatum visimus, ubi musei curator ipse omnia nobis ostendit et explicavit. Vix suspicaremur quam varia et hominibus et religionibus urbs Constantia esset (hoc sc. nomen nunc Tomis inditum est). Nam et Catholici et Orthodoxi et Macometani Constantiam habitant.

Urbe relicta, monumentum imperatoris Trajani visitavimus. Turrim eo loco, ubi acerrime contra Dacos pugnatum est, post victoriam adeptam ad perpetuam rei memoriam M. Ulpus Trajanus, Romanorum imperator, aedificandam curavit. Hoc monumentum, quod Macometi sectatores Adami Templum esse putaverunt, a viro, in archaeologia peritissimo, nobis minute descriptum et explicatum est.

Cum monumentum et loca viciniora bene perspexissemus, primum Constantiam autoraedis publicis, deinde ferrivia Bucurestios redivimus, quo hora decima vespertina pervenimus.

Bucurestiis per octo dies commorati sumus. Urbs est magnis aedificiis, latis viis spatiosisque areis ornata, sed hortos omnium quos vidimus pulcherrimos amoenissimosque judicamus. Omnia sunt tam diligentissime culta, tam floribus plena, tot fontibus lacubusque ornata, tot arboribus, tot semitis umbrosis praedita, ut fere in paradiso illo terrestri nos esse arbitrati simus. Dacoromanis, quos natura laetos fecit, multum pulchra amoenaque curae esse manifestissimum est.

Ante et post meridiem officio munerique nostro operam dedimus virorum doctorum orationibus aures praebentes, vespere vero per urbem, quo nos voluptas ferebat, ambulabamus omnia quae oculis obiciebantur curiose spectantes. Hoc enim hominum habitaculum, quas urbes appellamus, maximo nobis est spectaculo ex quo rerum hominumque naturam atque ingenium quam potissime discimus. Sed, ut supra memoravimus, multas orationes cotidie cum ante meridiem tum post meridiem diligenter audivimus.

Omnes, qui in sessionibus loqui voluerunt, latine hoc facere debuerunt. Homines docti, qui in hoc conventu acroases habuerunt vel scriptas orationes miserunt, de rebus, quas infra proferimus, egerunt.

- 1) ALOISIUS ALFONSI, in studiorum Universitate Ticinensi professor, *De Graeca eademque Romana humanitate in Catulli Carminibus*.



- 2) BRUNUS ARCURIUS, in Legatione Italica Bucurestiensis professor, *De nova pronuntiatione scientifica linguae Latinae.*
- 3) RICHARDUS AVALLONE, in studiorum Universitate Salernitana professor, *Quantum Latina lingua a media usque ad nostram aetam floruerit floreatque.*
- 4) JOANNES MARIA ANDRÉ, in studiorum Universitate Divinensi professor, *De humanitate Caesariana.*
- 5) NICOLAUS BARAN, in studiorum Universitate Iasiensi docens, *De Ovidio in Dacoromanis litteris.*
- 6) NICOLAUS BARBU, in studiorum Universitate Bucurestiensis professor, *De summis bonis Latinae culturae.*
- 7) FRANCISCUS BARONE, litterarum Latinarum doctor Neapoli, *De Lingua litterisque Latinis aetatis quae mediâ dicitur.*
- 8) CAROLUS BÜCHNER, in studiorum Universitate Friburgensi professor, *De humanitate Latina in De legibus.*
- 9) P. CAILLON, in magno Seminario Isarae Sequanaeque professor, *De lingua Latina docenda pueros sex annos et de schola Montessoriana Redonensi.*
- 10) BORIS CAXACU, in studiorum Universitate Bucurestiensis professor, *De Latinitate linguae Dacoromanae.*
- 11) EDUARDUS COLEIRO, in studiorum Universitate Melitae professor, *De Vergilii vi in recentibus epicis carminibus creandis.*
- 12) TRAJANUS COSTA, in studiorum Universitate Bucurestiensis docens, *Quantum Vergilius in litteris Dacoromanis constituendis valuerit.*
- 13) JOANNES CROISILLE, in studiorum Universitate Augustonemetensi professor, *De picturae usu in Latina lingua docenda.*
- 14) PAULUS CSILLAG, in studiorum Universitate Budapestiensi docens, *De jure humanitateque Latinis.*
- 15) EUGENIUS DOBROIU, in studiorum Universitate Bucurestiensis docens, *Quid Petronius de Latino vulgari sermone cogitaverit.*
- 16) CONSTANTINUS DRAGULESCU, in Instituto altius magistris scholarum instituendis professor, *Quibus rationibus, quibus technicis instrumentis Latina lingua docenda sit.*
- 17) P. C. EICHENSEER, «Vocis Latinae» in Germania occidentali adjutor, *De Germanorum usu mediaevali linguae Latinae.*

- 18) ANTONIUS FREIRE, in studiorum Universitate Bracarense in Lusitania professor, *Quantum Latina lingua renatarum litterarum aetate in Lusitania floruerit.*
- 19) BENJAMIN L. HIJMAS, in studiorum Universitate Manitobensi professor, *De libro XIII Aeneidi a Maphaeo Vegio addito.*
- 20) CONSTANTINUS GROLLIOS, in studiorum Universitate Thessalonicensi professor, *De Graeca humanitate in Ciceronis philosophicis libris.*
- 21) MARION HIJMANS, in studiorum Universitate Manitobensi in Canada professor, *Quibus rebus propositis litterae Latinae docendae, discendaeque sint saeculo vicesimo octavo post Urbem conditam quaeritur.*
- 22) JOANNES IRMSCHER, in studiorum Universitate Berolinensi professor, *Quantum Latinitas quantumque Graecitas ad culturam Germanorum provehendam valuerit.*
- 23) JOANNES KABRT, in studiorum Universitate Pragensi professor, *De Latinae linguae in studiis naturae usu.*
- 24) EVA KLUMSKA, Praegae professor, *De variis methodis docendae linguae Latinae.*
- 25) CASIMIRUS KUMANIECKI, in studiorum Universitate Varsoviensi professor, *De Vergilii apud Polonos fati.*
- 26) W. S. MAGUINNESS, in studiorum Universitate Londiniensi professor, *De novis linguarum litterarumque antiquarum programmatibus in Universitatibus Studiorum Britannicis nuper institutis.*
- 27) ALANUS MICHEL, in studiorum Universitate Sorbonnensi professor, *De humanitate Latina in Ciceronis Rhetoricis.*
- 28) DEMETRIUS PACURARIU, in studiorum Universitate Bucurestiensis professor, *Quantum Latinitas ad constituendas litteras Dacoromanas valuerit.*
- 29) CICERO POGHIRC, in studiorum Universitate Bucurestiensis professor, *De Latina Humanitate apud Michaellem Eminescu.*
- 30) FLORIN POPESCU, in studiorum Universitate Bucurestiensis docens, *De humanitate Latina apud Basilium Alexandri.*
- 31) VICTOR PöSCHL, in Heidelbergensi studiorum Universitate professor, *Quid Germania ad Latinam Culturam provehendam fecerit.*

- 32) WOLFGANGUS SCHMID, in studiorum Universitate Bonnensi professor, *De Lucretio in Germanicis litteris XVIII-XIX saeculis labentibus*.
- 33) HENRICUS C. SCHNUR, Stanfordiae, in Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis, professor, *De Germaniae aetatis renatarum litterarum Latinitate*.
- 34) RAOUL VERDIERE, Buxellensis Officii scientiarum studiis provehendis socius, *De Vergilio apud Andream Gide*.
- 35) BOLESLAUS S. POVSIC, *Quomodo lingua litteraeque Latinae apud studiorum Universitatem Boulingriniensem tradantur*.

Nec tamen conventus Bucurestiensis solum propter argumenta et linguam latinam vivam, qua una usus est, multum nobis commendandus esse videtur, sed etiam propter excursionum atque congressionum varietatem et copiam. Nam die XXVIII mensis augusti vespere receptio conventus participum a Consilio Dacoromano Conventui Constituendo in Casa Centrala a Armatei, quam vocant, solemnissima et lautissima habita est. Potus varii et cibi magno apparatu participibus libere copioseque parati sunt nec saltandi occasiones defuerunt, ut supra memoravimus. Kalendis septembribus meridie, quod Dacoromani «Museul satului» latine autem «Museum pagi» dicimus, visimus, vespere denique «Spectaculum» quod «Festivum» nominare placuit, in Sala Teatrului National, quod dicunt, spectavimus ubi Chorum canentium, qui «Madrigal» Symphoniam», quae «Camerata» appellatur, deinde «Fragmenta Fabularum», quae ex Pauto excerpta sunt, nec non Desiderii Erasmi «Senatulum Muliercularum» et cantores saltatoresque Dacoromanos indigenas atque genuinos audivimus et spectavimus. Omnes mirum in modum partes suas egerunt, ita ut non solum vehementer delectati simus, verum etiam multa de Dacoromanis saltationibus atque cantibus, multa de eorum moribus consuetudinibusque didicerimus.

Postridie kalendas septembres convivium, conventus claudendi causa, una cum musica et saltationibus variis in Casa Centrala a Armatei, quam supra jam memoravimus, magno quidem apparatu et solemnitate et festivitate habitum est.

Haec fuerunt praecipua, cetera in Actis Conventus, quae mox in lucem prodibunt, legere poteritis.

Conventu finito, ii qui voluerunt, excursionem in Bucovinam fecerunt, ut monasteria illa intus exteriusque picta, quae inter maxima Dacoromaniae monumenta ducuntur, visere et mirari possent. Hanc monasteria visendi occasionem, curiosi qui sumus, cupidissime arripuimus et velivolo Bucurestiis partem sitam, ubi haec monumenta sunt, petivimus.

Est Suceava urbs in colle posita. In media urbe fontes pulchri

aquas ad caelum proiciunt, quae lucibus illuminatae in varios mutantur colores. Area novis aedibus circumdata est. Nos in deversorio omnino recentissimo cenavimus et vina Dacoromana, generositate et amplitudine qua est, Nicolaus Barbu nobis gustanda praebuit. Incidit enim sermo de vinis et, ut fit, praesertim cum variis ex gentibus essemus, sua quisque laudare. Nam et Francogallus, et Argentinus aliisque ex gentibus quidam et nos, qui cultu et gustu fere Itali sumus, una cenabamus. Tum Nicolaus Barbu, qui dum optimum nobis una cum cena vinum dari jussit, tamen duo alia quae optima omnium in Dacoromania habentur, ipse suo sumptu nobis offerri jussit. Scivimus apud Dacoromanos multa vina et bona quidem esse, nonnulla enim jam Bucurestiis, alia vero Mamaiae gustavimus, sed quae Suceavae bibimus omnium optima aestimamus. Peregrinando, ut videtur, multa discuntur et facili quidem et tali modo ut ea oblivisci non possimus quamvis velimus.

Si unquam aliqua nobis placuerunt monasteria, illa in Bucovina quam qua maxima. Sita sunt enim in vallibus muris circumdata. In medio ecclesia est cujus exteriores muri picti tum vetus tum novum testamentum illustrantes. Illic vixerunt homines, qui dum corpus in hac terra animus vero eorum ac mens in caelo conversabantur. In intima enim ac secretissima hominum natura aliquid insitum ac reconditum est, ut dum corporis bona neglegant ad caelestia enixius tendant, quod opera eorum pulcherrima testantur. Vidimus itaque quattuor vel quinque monasteria. In quodam monasterio feminae religiosae degebant, quarum una totam monasterii et ecclesiae historiam ac significatum francogallice tam scitissime explicavit, ut manifestum esset feminam illam in arte pingendi aliisque disciplinis peritissimam fuisse. De qua re cum aliquantulo diligentius exquirerem, rem ita se habere comperui. Nam eam doctoris gradu apud studiorum universitatem in sacra theologia donatam esse mihi dixerunt.

Post meridiem ejusdem diei Suceavam reversi sumus vesperique nave aerea Bucurestios volavimus. Hic finis fuit commorationis nostrae in Dacoromania. Nonis septembribus evolavimus ex aeroportu Internationali Otopeni, qui a Bucurestiis quindecim kilometris abest, et Aquincum quod fuit, hodie Budapest vocant, petivimus. Ut fit, praesertim in navibus aeriis quae vi repulsae sunt et altissime volant, fere nihil vidimus nisi nubes infra et caelum supra nos. Unam post horam jam terram Ungarorum attigimus, et nos, linguae ungaricae omnino ignari, in multas incidimus aerumnas. Sed in rebus adversis Vergili «malis ne cedito, sed contra audentior ito» recordati sumus. Utrum Venus an Minerva, non satis constat utra, benigna nobis adstitit. In virum enim quemdam incidimus, qui latinam linguam satis bene sciebat (omnia bona faustaque dei ei concedant) nec nostrae omnino ignarus, qui omnia quae ad deversorium, omnia quae ad reliqua officia pertinerent humanissime pro nobis expedivit. Quin

immo sua autoraeda ad ipsum deversorium nos, perhumanus qui fuit, vexit nec ullam, quis crederet, voluit accipere pecuniam. O hominum humanissime, operis tui memoria si nominis non potest, id enim ignoramus, sempiterna vivat! Quis mortalium nobis qui in talem ac tantum incidimus hominem fortunatior!

Multa nobis in urbe placuerunt. In primis situs ipse ac locus urbis: Buda in colle, Pest vero in planitie est. Cum ad ecclesiam Beatae Mariae Virginis ascendimus totam urbem videre potuimus: pontes, Basilicam S. Petri, senatus curiam ingentissimam tam parvae reipublicae vix aptam. Sed olim Ungari multos populos in ditione habuerunt: nunc gloriae, quae fuit, haec aedificia vestigium remanent. Multas quoque turres campanarias et quidem binas in anteriore parte templorum aedificatas cacumina sua in caelum protendentes mirari potuimus. Inest in civibus, quamquam nunc aliquantulum jacet, vigor et dignitas prisca imperii testes.

Sed jam Vindobonae videndae desiderium nos premebat. Haec enim urbs omnium Europae jam a pueritia nos quam maxime alliciebat. Multa de illa urbe audivimus, plura legimus ita ut jam eam videre cupiverimus. Nimia enim ad historiam cum civilem, tum militarem, nimia ad artes tum ad scientias pertinent quarum haec urbs quasi inventrix et faultrix prima fuit ne cuiquam, dummodo ne omnino rudis sit, non solum nota verum etiam cara sit. Primum quae vidimus tria illa videlicet monumenta humanitatis et tragoediae fuerunt, quae hujus urbis vel potius totius Europae symbola et compendia haberi possunt.

Ecclesiam illam dicimus neogoticam, Maximiliani hortatu et industria ad Francisci Josephi I imperatoris memoriam a nece servati erectam, deinde institutum illud a Josepho II imperatore conditum, ut senibus consuleret et studia medicinae promoveret, denique castellum illud Belvedere, unde Archidux Ferdinandus Sarajevum petivit unde scintilla illa Primi Belli Mundani primum ortum habuit.

Sed sunt multa quoque Vindobonae quae ad vitae dulcedinem atque suavitatem nos revocant. In primis hortus ille ubi modos Straussianos, ut ita dicamus, quos salzer vocant, cotidie symphonia canit et eo quidem modo quo uni Vindobonenses canere possunt acciunt; sunt domus et loca ubi summi musicae compositores et magistri vitam egerunt et secum ea immortalia et cara omnibus musicae cultoribus fecerunt. Inest flumen quoque illud paene divinum, memoriis atque arcanis plenum refertumque, quem caeruleum Danubium vocant (ut vera dicamus flavum est argillaeque simillimum); sunt castella celeberrima, sunt silvae illae Vindobonenses omnibus ex musicis modis notissimae, sunt sescenta alia, quae si omnia nominare vellemus magno nobis volumine opus esset. Quam pacem, quam serenitatem silvae illae in animum mentemque infundunt. Inest enim in eis primaevae vitae vis atque arcanum, quae quidem experiuntur dici tamen nullo modo possunt. Ascendimus quo-

que collem quemdam qui ad occidentem urbis partem erigitur, ubi vinum ibi cultum ibique factum bibimus. Popina illa ea tempora nobis in mentem revocavit, cum his locis vinum, musica et mulieres quam maxime colebantur. Sed ex colle, quem memoravimus, omnium nobilissimum notissimumque templum illud Divi Stephani in media Vienna situm (hoc recentiore urbis nomine utendi venia nobis concedatur ne minis Ciceroniani esse videamur), turrim suam campanariam ad caelum erigens, prospiciebamus. Turrim hanc ascendere potes, si validis es pedibus et citis. Plus quam decies centenae scalae scandendae tibi erunt, ut nobis tesseram ementibus mulier dixit, nec tamen nos ab ascensu deterruit. Dies serenus ascensum nostrum memorabilem fecit. Omnes in partes late longeque videre potuimus totamque urbem uno oculorum ictu amplecti atque mirari.

Postremum Caesarum tumulos visitavimus in Cappuccinorum fratrum Ecclesia repositos. Ibi magnorum et notorum virorum et mulierum exitus contemplari potes, qui in humilitate franciscana pace tandem et quiete sempiterna fruuntur. Rerum gestarum memoria et pondus nos invaserunt et quasi oppresserunt. Hic jacent qui olim Europam rexere! Quorum nomina pueri in libris legimus et memoriae mandare compulsi sumus, eos in humili crypta jacere nos vidimus.

Sed ut jam rursus ad vitam et aerem puriorem redeamus (subterranea enim et obscura reformidamus) deversorio, cui nomen Carinthia, in Albertgasse 48 sito, nos recepimus. Est locus hic nobis carus tum quia terrae nativae revocat memoriam atque suavitatem tum quia ad studia et pietatem dicatus atque consecratus est. Condidit enim hanc studiorum domum Joannes Tomazic, sacerdos piissimus et perindustrius. Hac domo durante anno scholastico primum juvenes Sloveni deinde Austriaci aliarumque denique nationum excipiuntur, ut apud studiorum universitatem Vindobonensem studia absolvant.

Sed jam tempus nos urgebat et Pragam nobis eundum erat. Nocte Vindobonam reliquimus, nocte Pragam pervenimus. Urbs Praga, ut notum est, Carolinam habet studiorum universitatem omnium Bohemaslovacarum studiorum universitatum antiquissimam et principem. Condita enim est anno 1348 a Carolo IV, Bohemorum rege. Moldava flumen urbem in duas dividit partes. In altiore parte castellum illud Hradcany et ecclesia cathedralis Sancti Vitalis sita sunt, in parte inferiore in amplo fluminis flexu centrum urbis antiquae est. Multa in hac, quae inspiciantur digna, inveniuntur. In primis area antiquissima in media urbe vetere et porta urbis quae adhuc exstant; paulo exterius via illa lata quae Vaclavské Namesti dicitur. In extrema ejus parte australi Museum Carolinum eminet. In hac via latissima et pereleganti multa memoria digna tum antiquitus cum recentius acciderunt.

Ab amico nostro Joanne Sprincl rogati, ut Brunam veniremus

et pauca de novis docendi rationibus ad socios classicae societatis diceremus perlibenter invitationem hanc et munus suscepimus. Hamaxosticho Brunam petivimus ac per valles et colles amnes innumeros praeterivimus et post quattuor itineris horas in urbem pervenimus. In hamaxostichorum statione Joannis Sprincl, litterarum doctor ac Pindari optimus interpretator, et Venceslaus Kucera, artis scientiaeque medicae peritissimus, nos humani qui sunt, benigno vultu acceperunt et autoraeda publica in urbem vexerunt.

Cum aliquantulum requievissemus, in triclinio deversorii cenavimus et de rebus ad studia latina pertinentia disputavimus. Vehementer mirati hoc sumus quod viri illi, quamquam operam ad alias disciplinas potissime dant, quae ad linguam litterasque latinas minus spectant (alii enim juris, alii medicinae, alii musicae periti erant) tamen bene nos latine loquentes non solum intellegebant, sed etiam ipsi latine bene loquebantur.

Crastina vero die nobis vacavimus ac Perstejn aliaque loca celeberrima ac digna quae visitentur visimus, ita ut non solum urbem sed etiam loca viciniora videre potuerimus. Vespere in castello Spielberg, quod urbi imminet, cenavimus et summo mane ferrivia Pragam reversi sumus. Die 19 mensis septembris Amstelodamum Bataavorum petivimus ac ibi per biduum commorati praecipua urbis monumenta inspeximus. Die 21 ejusdem mensis aeroplano illo ingentissimo, quod 747 appellatur, primum Bruxellas deinde Novum Eburacum petivimus. Quamvis cum primum hanc navem aeriam caeli dominam conspexissemus satisque magna nobis esse videretur, praesertim si cum Boeing 707 aliisque aeroplanis comparetur, tamen cum eam intravissemus tunc demum quam ingens atque enormis sit vere nobis apparuit. In magna enim cabina 362 viatores percommode sedere possunt et adhuc spatia remanent ad deambulandum. Quamquam tam ingens tamque gravis haec navis aerea est, tamen brevissimo post cursu aere vehitur ac tam placidissime et silentes volat ut eam stare judicares. Multas naves aeras conscendimus, nullam tamen tam silentiosam, nullam tam commodam, nullam tam securitatis sensum infundentem adhuc experti sumus.

Die 21 mensis septembris Europam reliquimus et, quod Cristophoro Columbo aliisque celeberrimis audacissimisque nautis, qui primi nostram terram visitaverunt et explotarunt, nullo modo imaginare potuisset, eodem die non solum Atlanticum patriae nostrae litus tetigimus, verum etiam in urbem Detroit, quae ab eo 600 milia passuum abest, quin immo in ipsam domum nostram, quae alia centum milia passuum ab aeroportu Detroitensi distat, pervenimus. Haec sunt nostrae aetatis inventa et dona visu mirabilia, mirabiliora sunt.

In aeroportu Detrointensi Francka, uxor nostra dilectissima, una cum filiola, deliciis nostris, Maria nosmet expectabat exoptatosque excepit. Vultus totus hoc manifestissimum faciebat. Duorum men-

sium peregrinationes nimiae profecto sunt non solum liberis, sed etiam parentibus. Loca pulchra visere variisque in locis commorari dulce sane est, nullibi tamen dulcius quam ubi uxores liberique nostri optatos nos expectant atque excipiunt: ea enim vera et unica domus. Pervenimus ergo Bowling Green, in urbem nobis aptam, in vicum nostrum non magnum, non per orbem terrarum notum, sed nobis carum desideratumque. In hoc enim oppidulo primum cum uxore nostra vitam communem agere inchoavimus, hic liberi nostri lucem hanc alman primum aspexerunt, hic multos jam vitae nostrae annos felices egimus, hic inter concives industrios honestissimosque vitam laboriosam, aliisque utilem, ut speramus, nobisque profecto dulcem et beatam ducimus. Hic

jam mihi, jam possim contentus vivere parvo  
nec semper longae deditus esse viae.

BOLESLAUS POVSIK, Latinarum Litterarum Professor  
Bowling Green, Ohio 43402 in Universitate Boulingriensi  
in Foederatis Americae Septentrionalis Civitatibus (U. S. A.).



# NOVA CARITATIS ITINERA \*

## IV

Hoc nonum est iter, haud brevius, tum tempore sumpto  
Tum spatio, montes, silvae quod flumina rumpunt.  
«Discedam» —ad multos in Eum bona verba precantes—  
«Summi non ut Pontificis, fulgente tiara  
Vincti» —Paulus sit— «regiones munere lustrem  
Longinquas, peragrem nec qualiscumque viator;  
Primas non ut agens partes sollemnibus adsim  
Ritibus; at piscator ero, Praeconii ut esca<sup>1</sup>  
Captem homines, quos, ut pastor, per pingua ducam  
Pabula. Nam populos totum gentesque per orbem  
Jamdiu inest animo mihi festinanter adire.  
Fratres conveniam, carissima pignora visam;  
Colloquar at potius cum illis, sincere et aperte,  
Qui esuriunt, luctu aut, miseri, torquentur, homunclis.  
Ad juvenes, urbes et quot moderantur adire  
Optem, qui bene de communi quaque merentur  
Re, qui justitiam sitiunt pacisque sequestres  
Jura Deique probant mores hominumque decoros.»  
Edendam fert paginam iter, caput immo librorum  
Cunctorum summum, quod ei nunc addere debet  
Quisque rei scriptor, cui nomen «Apostolica Acta»<sup>2</sup>  
Lucas ille dedit, Pauli comes, orbis ad omnes  
Christicolae sociorum ut nuntia prima referret.  
En nova jam fulget lux jamque per aethera Phoebus  
Emicat; aerea en navis jam pervolat alta;  
Inferius videas turbam, quae laeta vagatur:  
Laetitia ejus adhuc resonat petriana platea.  
Cum grates etiam velit antea habere Supremo  
Consilio Italiae nunc Praeposito, omnia fausta<sup>3</sup>

---

\* Itinera hic narrantur ad varias orbis plagas, quae ad orientem australemque solem spectant. Alia ante peracta itinera fuerunt: ad Palaestinam, ad Indiam, New York (in America Septemtrionali), in Lusitaniam, ad Turcas, Bogotam (in Colombia), ad Helvetiam, ad Ugandam (in Africa). Cfr. PALAESTRA LATINA, n. 213 ubi superiora caritatis itinera Pauli VI poetice narrantur.

1. «Praeconii» = Evangelii.

2. «Apostolica Acta» = nempe «Acta Apostolorum», quae Lucas scripsit, seu idem ac tertii Evangelii auctor.

3. «Supremo Consilio Italiae Praeposito» = pro Columbo, primo ministro, sumatur.

Dicenti, «Petrus, sociis comitantibus, olim  
 Est iter aggressus, Christi mandata secutus;  
 Cumque Palaestinis —ita Summus Praesul— abiret,  
 Primus cum Paulo fidei praeconia misit;  
 Nunc et Apostoli item, quo munere fretus, alumnus,  
 Ejus versa retro vestigia prisca secutus,  
 En iter aggredior, supplex peregrinus in orbe,  
 Quam diversa etiam loca visum solis ad ortum!»  
 Occiduā manet arx Irania Pontificem aurā<sup>4</sup>;  
 Ecce, bonis habitis breviter cum principe verbis,  
 Ulterius, pacis Praeco, pertingere metam  
 Jam cupiens, longum caeli per inania templa  
 Pergit iter. Sinus est prope Gangis ibique remota  
 Pakistan regio; princeps urbs condita Dacca.<sup>5</sup>  
 Certior, hic, rapido venti de turbine factus,  
 Multa per arva viasque nimis qui funera sparsit,  
 Quae passim impediunt citius ne civibus unis  
 Saltem dentur adhuc reliquis solatia vivis,  
 Paulus tristitia ac sine voce dolore movetur.  
 Haesitat haud minime tamen, etsi clade perhorrens;  
 Viribus at subito sumptis animoque reffectus,  
 Quotquot sunt Romanae Ecclesiae in orbe fideles  
 Alloquitur: «Statim opes vos inter constituentur;  
 Nondum quisque nihil jam expertum prorsus omittat,  
 Ut miseros, inopes curisque fameque leventur.»  
 Nocte deinde fere hinc en aerea impigra navis  
 Evolat; est et jam nubes super ocior alta:  
 Mox super id pelagus sinuosis mille refertum  
 Se vertet scopulis, multae quod et insulae adornant:  
 Inter eas media atque Asiam alluit unda Sinarum.  
 Una Philippinis ex illis insula Luzon<sup>6</sup>  
 Pontificem ecce manet; media est urbs illa Manila  
 Princeps. Antiquae videas hic artis opimae  
 Haud parva indicia et quae cultus cumque reliquit  
 Longus, saeculo abhinc prope, jam dominatus Iberum:  
 Gens exulta satis, versatili et ingenio aucta.  
 Ostioli in vacuo stat Paulus, sicut imago,  
 Et prope substantes amplectens bracchia tendit.  
 Plausu planities resonat, clamore resultat;  
 Undantes ulnae ut pelagi in sublime levantur  
 Aestus; subter, humi genibus flectuntur ad unum:

4. «Irania» = prima itineris meta: urbs princeps Teheran.

5. «Pakistan» = urbs princeps Dacca.

6. «Luzon» = apud pelagus insulis refertum, quae Philippinae appellantur: urbs princeps Manila.

Sanus et aeger, ut et mulier, puer, ipsa senectus.  
 Cum subito, in medio dum, prae cogente caterva,  
 Interdum Paulus stat proceditque gradatim,  
 Quidam externus homo, non tali nomine dignus,  
 Veste colore nigro tectus, qua est condita sica <sup>7</sup>,  
 Districta cruce, qua credatur jure sacerdos,  
 Paulum adit, impetu eum cupiens configere ferro:  
 Praeceptis in laevum, quasi fulmen, pectoris ictus  
 Haud semel, at bis terque infert, iterumque scelestus.  
 Sique Philippinus princeps, Ecclesiae et auctus <sup>8</sup>  
 Purpurae honore pater, vigil, arcens pectore firmo <sup>9</sup>,  
 Scutum in eum, incautus sibi, non se fecerit, audens,  
 Paulus, amans, indigno odio est prope vulnere caesus.  
 In se: «Parcat ei Deus —inquit— ut ipse pepercit!»  
 Integer, et nihil omnino turbatus, adhaeret  
 Suggesto, et necopinam ad turbam versus ovantem:  
 «Euge! Philippinis bene! Faustum esto omnibus omen!»  
 Consueta est Christi cum voce Vicarius orsus.  
 Ominibus dictis, sacram cito prorsus ad aedem  
 Sollemni pompa procedit, ibique: «Sciatis —  
 Sacra litans ait — haud satis ut Deus ipse colatur;  
 Vos etiam at prius Is magis ut sit notus adhortor».  
 Egressum quasi eum numerosior, aequor inundans,  
 Turba vorat; nunc aream, ubi tot saepe jocose  
 Insanire solent pueri, petit. Est animo ille serenus,  
 Subridens etiam atque vehiclo desuper altus;  
 Non enim aperta est, nec celeris, perlucida raeda:  
 Amplexu cunctos benedicens, bracchia tollit.  
 Nulla quidem quisquam spectacula talia vidit!  
 In platea en adsunt puerorum millia multa:  
 Quot summis ramis cujusque vel arboris haerent!  
 Plausus de labiis et cantus ad astra feruntur:  
 Sic galilaei, ut Scripta docent, gestire solebant,  
 Sic pueri canere et Jesu genua alma tenere.  
 Hac die episcopum, et ista frequens, acroasis habetur,  
 Hac juvenes auget sacro ordine rite ducentos.  
 Postea egenum illum — *Tondus* plerumque vocatur:  
 Urbs quasi in urbe, viris populosa, famelica, tristis;  
 Omnia sunt imo posita hic magalia caeno —  
 Ut pater impatiens festinat visere vicum:  
 Hic genua ante senem, vestis qui fimbriae adhaeret,

7. «externus homo» = ad infaustam hominum memoriam nomen est Benjaminus Mendoza y Amor, ab urbe La Paz (in Bolivia) oriundus.

8. «Philippinus Princeps» = Marcos.

9. «Ecclesiae auctus purpurae honore» = card. Stephen Kim.

Paulus humi flectit, caput et quasi dextera obumbrat.  
 Altera ut alma dies cum primo sole refulget,  
 Divi Thomae in Athenaeo mox verba salutis  
 Auditum juvenum laete se millia cogunt  
 Quinque fere decies, quos et dissentio adurget;  
 Sed fidei praesto sunt, Christi et amore fovente.  
 Paulus eos animo ac ratione intellegit ultro:  
 «Confidant; quaevis solvatur quaestio» adhortans.  
 Nondum elapsa oculis est laeta acroasis imago,  
 Cum celebri absque mora ex ista proficiscitur urbe.  
 Haud ita post multo en in Pacifici aequore metam  
 Oceani contingit, ubi manet insula Pago<sup>10</sup>.  
 Hic — meminisse juvet — grandis jam capsula *Apollo*  
 Aestus, e Luna rediens, collegit aquarum.  
 Aeronavis init stationem turba coacta.  
 Postquam ultro breviter dixere et utrimque salutem  
 Paulus et ipse loci princeps, est ille locutus:  
 «Gaudium inest vobis; at jure Vicarius hospes  
 Ut magis exsultat! Vos —inquit— amore flagrantes  
 Huic Ecclesiae adhuc et posthac state fideles!»  
 Terrae Australiae adest jam proxima, Sydney, meta.  
 Hic, centena viarum in longo margine stantes  
 Pontifici manibus plaudunt vix praetereunti  
 Millia multa hominum: jam non magalia, ramis  
 Vel calamis, paleis caenum contexta per udum,  
 Forma sed artificum et ratio videatur opima:  
 Aedes conspicias, hic, marmoreasque superbas.  
 At majus mirumque oculis spectaculum inhaeret,  
 Quod cujusque rei speciem exsuperare videtur:  
 Millia, dum Paulus litat, arcte civium ad aram  
 Immensum stadium prope ter centena frequentant:  
 Tantum nemini adhuc alii (bene!) temporis unquam<sup>11</sup>  
 Jam dedit atherias hic Nuntius actus in undas.  
 «Vos precor —hinc abiens ait Optimus ille Magister—  
 Ex animo morum memores estote bonorum.»  
 Nunc videas saltem semel otio ut Ille beetur:  
 Linter eum vehit in sinuoso litore velox.  
 Altera episcopum, et haec acroasis major, habetur;  
 Paulus adest; ad eos est arbiter ipse locutus:

10. «Pago-Pago» = apud Oceanum Pacificum, compluribus insulis refer-  
 tum; qui locus aeronavis *Apollo 12* reditum e lunari itinere memoriae prodit  
 (mense novembri MCMLXIX).

11. «Tantum... temporis... Nuntius» = Acta Diurna plerumque scripserunt  
 nullum unquam «radiophonicum nuntium» aut «televisificas capsellas» tantum  
 temporis dedisse ad hujusmodi describendum vel inlustrandum eventum.

«Esto Ecclesia ut unum in amore fideque coacta!»  
 Altera se confert ad eum numerosa juventa,  
 Laeta: ducenta fere sunt millia. Paulus ad istos:  
 «Justitiam mihi vos placet —inquit— idemque sitire  
 Verum, belli et item vim vobis magno odio esse».  
 Cum pueros demum breviter convenerit aegros,  
 Hinc aliam aerium vehiculum contingit et oram,  
 Indicum apud pelagus, quo tot glomerantur in unum  
 Insulae et innumeri scopuli, «Indomalesia» dictam:  
 Urbs populosa nimis princeps «Iakarta» vocatur<sup>12</sup>.  
 Ipsa dies est, cum Franciscus ab arce Xaveri<sup>13</sup>,  
 Exsultans, sexto decimo jam saeculo, obivit.  
 Indis quam multis is sacri fluminis unda  
 Impiger in Christo dedit, ut baptisma, salutem!  
 Hic, ad Eum dicunt bona verba Suhartus et uxor<sup>14</sup>:  
 «Sit pacis Princeps quam gratus in urbe receptus!»  
 Hinc sacram in media turba festinat ad aedem;  
 Paulus ad innumerum populum post sacra peracta:  
 «Semper apud vos ex animo sum et mente manebo;  
 Vestra fides Petri Cathedrae si rite colatur —  
 Post ad christicolas ait — inconcussa manebit».  
 Principis augusta paulisper in aede Suharti  
 Inde moratur; eum non multi hucusque sequuntur.  
 Hora fere est ex Oceano cum Phoebus equorum,  
 Immensum spatium perlustrans, laxat habenas:  
 Hinc iter aggressus Paulus benedicit ab alto;  
 Plausibus aligerae navis motorius obstat  
 Vix strepitus. Licet Hong-Kong longe conspiciere urbem:  
 Ipsa stat ante Sinas, quam dicunt, ampla fenestra.  
 «Vere sentit — ait Paulus breviora locutus,  
 Praepete ut aerium terram vehiculum attigit ala —  
 Vitae virtutem tantum qui vivit amore.  
 Nonne Sinas, fratres nostros, et Christus amavit?  
 Nonne Magister eis est forsitan et Ipse Redemptor?»  
 Insula nunc grandis «Ceylon» manet ultima meta:  
 Aedibus urbs caput est dives templisque «Colombo»;  
 Planities amnes gelidi labuntur et agros,  
 Vertice celsa satis juga montium ad astra levantur.

---

12. «Iakarta» = urbs princeps insularum, quibus est Indicum Oceanum refertum, quaeque Indomalesia sunt alias dictae.

13. «Franciscus ab arce Xaveri» = B. Franciscus, ex arce dioecesis Pampelonensis «Xaverius» dictus, a Paulo P.P. III in Indiam missus, multa centena millia hominum ad christianam fidem convertit. Obiit in Sanciano Sinarum insula, anno MDLII.

14. «Suhartus» = Indonesiae Princeps.

Hic, Paulus regimen laudat meliore fruendae  
Vitae tam multos cultu victuque quod auget.  
Hic, numerosa cohors nunquam gestire satisfit.  
Extremum hoc iter hac gemma diadema coronat:  
Paulo, caeruleo sub caelo, ubi sacra peregit,  
Ingens, laeta cohors acclamat more triumphi.  
Majoris turbae nusquam jucunda voluptas,  
Quae manibus plaudit simul alta et voce, videtur.  
Sidera plura, putas, grana aut numerabis arenae?  
Inter eos plausus tam laetitiamque sonoram  
Est iter Italiam versus Peregrinus adortus.  
Undique jam Plateam Petrianam ex Urbe coacti  
Romani celebrant, et: «Io!» tibi «Pastor!» hosannant.  
«Flos florum tibi per Malachiam est nomen adeptum<sup>15</sup>:  
Terrae namque, volans fluidas super aetheris undas  
Polline saepe plagas multas et spargis odore».

**Prof. JANUARIUS MARINELLI**  
Via Salvator Rosa, 241  
80136 NEAPOLI in Italia

---

15. Prophetia, ut ita dicam, B. Malachiae, archiep. Dunensis, in Hibernia, qui vixit medio fere decimoseculo p. Chr., Pontificum cognomina tradidit, quae quodammodo cujusque pontificis res gerendi rationibus conveniant.

# CICERONIS SPECIMINA

## CATO MAJOR DE SENECTUTE

1. In libris, quos de philosophia scripsit Tullius, plurimum praestant atque ab omnibus maximi aestimantur dialogi *de amicitia* et *de senectute*; quos firmata jam aetate exaravit.

a) CUI MITTIT? — Dialogum *de senectute* ad T. Pomponium Atticum scripsit anno 44 ante Chr. natum — id est a. 710 ab U. C. — paulo post Caesarem occisum, cum ipse Tullius annos tunc haberet duos et sexaginta.

b) CUI TRIBUIT? — Librum autem «Catonis seni tribuit quo majorem oratio habeat auctoritatem». — Cato natus est Tusculi a. 234 ante Chr. n., et anno 149 — cum sextum et octogesimum ageret annum — Romae mortuus.

c) QUIS FUIT CATO? — Catonis ingenium ejusque virtutes ita amplissimis verbis a T. Livio praedicantur (39, 40, 3-12): «Omnes patricos plebejosque nobilissimarum familiarum M. Porcius longe anteibat. In hoc viro tanta vis animi ingeniique fuit, ut quocumque loco natus esset, fortunam sibi facturum fuisse videretur. Nulla ars neque privatae neque publicae rei gerendae ei defuit; urbanas rusticisque res pariter callebat. Ad summos honores alios scientia juris, alios eloquentia, alios gloria militaris provexit: huic versatile ingenium sic pariter ad omnia fuit, ut natum ad id unum diceres, quodcumque ageret: in bello manu fortissimus multisque insignibus clarus pugnis, idem postquam ad magnos honores pervenit, summus imperator, idem in pace, si jus consuleres, peritissimus, si causa oranda esset, eloquentissimus, nec is tantum, cujus lingua vivo eo vigerit, monumentum eloquentiae nullum exstet... Orationes et pro se multae et pro aliis et in alios: nam non solum accusando sed etiam causam dicendo fatigavit inimicos. Simultates nimio plures et exercuerunt eum et ipse exercuit eas; nec facile dixeris, utrum magis presserit eum nobilitas, an ille agitaverit nobilitatem. Asperi procul dubio animi et linguae acerbae et immodice liberae fuit, sed invicti a cupiditatibus animi, rigidae innocentiae, contemptor gratiae, divitiarum. In parsimonia, in patientia laboris periculique ferrei prope corporis animique, quem ne senectus quidem, quae solvit omnia, fregerit...»

Apud Cornelium Nepotem (*Cato*, 3,1), Quintilianum (12,11,23) aliosque summae exstant de Catone laudes, quas ipse sibi animi virtutibus, eloquentia, re militari in primis peperit.

d) QUOS LIBROS SCRIPSIT? — : *De re rustica* [*de agri cultura*]

—cujus maxima exstat pars—, *Origines, Orationes* Ciceronis aetate saltem 150 erant, quas ipse Tullius legerat—, *Praecepta ad Marcum filium*: quae fere omnia exciderunt.

e) QUI IN DIALOGO INTERSINT VIRI? — Cicero Catonem cum Laelio Scipione —anno 150— fingit disputantem.

f) G. LAELIUS —«quem constat *dicendi gloria* praestitisse»— natus est, ut videtur, Tiburi anno 190 ante Chr. natum, et anno 129 mortuus est: cujus «sapientia, suavitas, lenitas» in primis laudantur.

g) P. CORNELIUS AEMILIANUS —*Africanus Minor - Numantinus*— anno 185 natus est, qui ab Scipionibus filius est adoptatus, Carthaginem delevit (anno 146 a. Chr. n.) atque Numantiam (a. 133) evertit: cujus «gravitas» ac «singulare consilium» a Cicerone celebrantur (*de orat.*, 3,28; *in Verr.*, 5,25): isque «nihil in vita nisi laudandum aut fecit aut dixit ac sensit» (VELLEJ., 1,12,3).

2. PROOEMII SUMMA. — Tullius cum onere urgentis aut certe adventantis senectutis —quod commune ei erat cum Attico— levare vellet, aliquid ad amicum, Athenis commorantem, scribere constituit: quo litterarum munere uterque communiter ad consolationem uteretur. Librum autem M. Catoni tribuit —quo major sit in sermone auctoritas—, apud quem Laelius et Scipio conveniunt atque vehementer admirantur quod is senectutem, plerisque senibus gravem, tam facile ferat. Cato querelas quae adversus senectutem proferuntur, aperit, enōdat, probabilibusque confutat argumentis.

Enimvero, senectus sapientibus viris gravis et odiosa esse nequit qui semper naturam ducen tamquam deum sequantur; nam deus —seu natura— in quosdam quasi actus hominum vitam ita distribuit ut intellegere nequeamus maximum atque extremum vitae actum neglexisse, sed quadam sapientiae virtutumque maturitate effinxisse perfectum (2,5). In eaque re illustranda Quinti Maximi, Platonis, Gorgiae, Ennii proferuntur exempla: ex quibus id manifestum fit omnium querelarum contra senectutem in moribus, non in aetate culpam esse ponendam (3, 7). Nam sapientes ac moderati senes tolerabilem agunt senectutem: atque supremum totius vitae donum, non in voluptatibus aut honoribus collocandum existimant, sed in exercitationibus virtutum: quae, si omni aetate mirificos efferunt fructus, in extrema minime deserunt, atque conscientia bene actae vitae et factorum recordatio jucundissima est dignaque immortalitate aeterna (3,9).

Quod libelli quasi proemi cum Tullius, Catonis verbis, protulisset, materiae tractandae summam subjungit (5,15):

*Etenim cum complector animo, quattuor reperio causas cur senectus misera videatur; unam quod avocet a rebus gerendis, alteram quod corpus faciat infirmius, tertiam quod privet omnibus fere voluptatibus, quartam quod*



*haud procul absit a morte. Earum, si placet, causarum  
quanta quamque sit unaquaeque videamus.*

Quam partitionem una cum prima contra senectutem incusatione (15 - 20) —*quod rebus gerendis abstrahat*—, sumimus exponendam atque secundum praecepta syntaxis et stilisticae explicandam.

Cicero hominum vita alias evincit esse res: vires mentis virtutumque exercitationes: quae non manibus neque corporum actione perficiuntur, sed senum consilio, auctoritate, prudentia.

Idque etiam Ciceroni propositum fuisse patet: non tantum senectutis laudes contexere, verum etiam omnes ad bene vivendum et moriendum hortari, cum animi nostri immortales sint (21,77 - 23,85).

Attamen, quam plurimi fuerunt et sunt qui contrariam Ciceroni sententiam de senectute teneant. Multi inveniuntur apud scriptores loci quibus *pigra, tarda, annosa, vergens, queribunda...* senectus appellatur.

— In his autem scriptoribus H. H. PAOLI, suavissimus scriptor et poëta latinus, praestat, qui jucundissimum suaque latinitate expolitissimum scripsit de senectute libellum (U. E. PAOLI —*Anonymus Namurcensis*—, *De senectute - Indorum sapientia*, Florentiae [Le Monnier] 1962).

## ADNOTATIONES SYNTACTICAE ET STILISTICAE

3. ETENIM: *etenim* et *namque* initio orationis adhibentur, conjungunt graviusque affirmant supra dicta quam *enim* et *nam*; interdum probationem continuant: «*Etenim* rem totam cognoscite» (CIC.); cfr. *Tusc.*, 3,20; 4,42: — *e infatti — pues, en efecto — et puis vraiment — ja auch —*. Aliquando particula *etenim* ab una re in aliam in oratione progredimur, ut hoc loco Ciceronis: «*Etenim* cum complector animo»... — *adunque, orbene — así pues, y en efecto — et vraiment — und allerdings, und in der Tat* —<sup>1</sup>.

1. Cfr. PAOLI, *Scriver latino*<sup>2</sup>, Milano [Principato] 1965, & 264; 2; ERNOUT-THOMAS, *Syntaxe latine*<sup>2</sup>, Paris [Klincksieck] 1964, & 432; LLOBERA, *Grammatica classicae latinitatis*, Barcinone [Subirana] 1920, n. 380, II; M. BASSOLS, *Sintaxis latina*, Madrid [CSIC] 1963, II, n. 124; ISSELÉ, *De Latinorum sermone, Praecepta*, Parisiis [Desclée] 1936, n. 269, *nota*; LEUMANN-HOFMANN-SZANTYR, *Lateinische Grammatik, Syntax und Stilistik*, München [Beck'sche Verlagsbuchl.] 1965, & 277; N. MADVIGIUS, *Cicero, De finibus b. et m.*, Hildesheim [Olms] 1965, I, 3, p. 9: «Particula *etenim* utimur non tam cum proxima confirmamus, quam cum in universa argumentatione progredimur, ut fere idem sit ac *porro, praeterea*».

4. COMPLECTOR ANIMO: *complector* usurpatur fere cum complemento directo et ablativo sine praepositione: «Divinum animum corpore liberatum cogitatione complecti possumus» CIC., *Tusc.* 1,22,51. — Sine *animo, mente, cogitatione* habetur apud Ciceronem, *Acad.*, 2,114 et apud Tacitum, *Agric.*, 46,10.

*Complector* est a *cum* et *plecto*: adhibetur sensu physico et morali: «Vitis... quasi manibus quicquid nacta est *complectitur*» CIC. *de senect.*, 15,52. «Me artior somnus complexus est» CIC. *de re p.*, 6,10. — «Causam — philosophiam *complecti*».

Cfr. *derivata*: *complexus -us, complexio, complexor -āris*; ex eadem radice: *am-plector, am-plexus, am-plexio, am-plexor -āris*; quae omnia a primigenio *plecto* derivantur (Cfr. ERNOUT-MEILLET, *Dictionn. étymol.*, -s.v. *plecto*).

— Similes habes *locutiones*: *complector animo*: «considero; commentor [«futuras mecum commentabar miserias» CIC., *Tusc.*, 3,14, 29]; mentem intendere, mentis aciem, animum intendere ad; considerare cum animo suo; succurrit animo [periculi magnitudo]; animum et mentem adhibere; in hoc defigere mentem et cogitationem; ante oculos ponere, statuere, constituere; perpendere, expendere; animum advertere; saepe venire in mentem; animum ad rem referre; animum adicere ad; te teneat cogitatio»...

5. QUATTUOR: scribendum *quattuor* duobus —*tt*— singulari quadam ratione phonetica, ut est in graeco τέσσαρες, τέτταρες. Olim *quattuor* declinabatur: \* *quattuores*, \* *quattuora*.

*Quattuor* in sermone vulgari *quattor* factum est, et in linguis recentioribus *quattro* (ital.), *cuatro* (hisp.), *quatre* (gall.)<sup>2</sup>.

6. REPERIO: id est 'rem post sedulam inquisitionem (investigationem) attingo'; *invenio* autem 'rem forte attingo'; *re* — *pario*'. -Animadvertite apophoniam, cujus est lex: «vocalis brevis media ante *r* semper mutatur in —*e*—»: *dāre* > *reddere, tradere*; *pārio* > *repērio, repērit*.

Perpende etiam praeteritum hujus verbi *reppēri*, quod ita scribendum est — duobus *p* — quia a *pepēri* ducitur [re -*pep* (e) ri] ita etiam *reppūli, rettūli, reccīdi*<sup>3</sup>.

7. CAUSAS CUR: *causa* alias quoque secum fert constructiones; exempla recōle: «Iste, hoc causae dicit quod» (*subj.*) CIC. *Verr.*, 5, 106.

2. Cfr. ERNOUT-MEILLET, *Dictionnaire étymologique de la langue lat.*<sup>4</sup>, Paris [Klincksieck] 1959, s. v.; ERNOUT, *Morphologie historique du latin*<sup>3</sup>, Paris [Klincksieck] 1953, n. 160; MEILLET-VENDRYES, *Traité de grammaire comparée des langues classiques*<sup>3</sup>, Paris [Champion] 1963, & 63, & 85.

3. Cfr. NIEDERMANN, *Phonétique historique latine*<sup>4</sup>, Paris 1953, & 16; & 20.

«*Ob eam ipsam causam quod*» CIC. *de fin.*, 2,22; *de nat. deor.*, 2,17.

«*Ob eam unam causam quia*» CIC. *de fin.*, 2,45.

«*Nec ob aliam causam ullam... nisi quod tanta est inter eos... morum studiorumque distantia*» CIC. *de amic.*, 20,74.

«*Propter hanc causam quod*» CIC. *Verr.*, 2,131.

«*Satis habere causae quamobrem*» CIC. *de fin.*, 3,51.

«*Non justa causa cur*»... *tanta fieret injuria*» CIC. *Tusc.*, 1,16,65.

«*Causa, cur mentiretur, non erat*».

«*En causa cur*». — «*Ea est causa ut*»... LIV., 5,55,5.

«*Nihil causae quin*» CIC. *Pro Quinct.*, 32. — «*Nulla causa est quin*».

«*Nihil afferre causae quominus*» CIC. *de invent.*, 2,132.

*Cur* sensum habet *relativi*, ut in locutionibus: «*causa non est cur*» [= 'nihil est quod']; «*quid causae, quae causa est cur*...» [= 'quid est quod']; et *subjunctivus* qui consequitur est *interrogativus-consecutivus*: «*cur... misera videatur*»; — ut in illa oratione «*nihil habeo quod accusem senectutem*» est *notio consecutiva*: cfr. J. MICHEL, *Grammaire de base du latin*, & 488, d, *Rem.*<sup>4</sup>.

8. UNAM... ALTERAM... TERTIAM: haec est usitatio enumerandi seu recensendi ratio: *unus... alter... tertius*. Caesar tamen habet: «*Quarum unam incolunt Belgae, 'aliam' Aquitani, tertiam...*» (*de b. gall.*, 1,1); nam post *unus* adhiberi potest *alius* vel *alter*; dici etiam potest *unus* aut *primus*, nisi *primi* notio sit notanda.

9. QUOD AVOCET: Interdum haud facile distinguas utrum *quod* secum ferat sensum *explicativum* [— *declarativum*, *completivum* —] an potius *causalem*; cum *causalis* ab *explicativo* sensu ortum haberit, ac vel in *explicativo* causa aliquando contineatur. — *Quod* *causale* *indicativo* jungitur cum causa vera — a colloquente saltem ita aestimata — exprimitur; *subjunctivo* cum causa non vera aut aliorum sententia, non ipsius scriptoris, exprimitur<sup>5</sup>.

10. A. REBUS GERENDIS: [— 'perchè distoglie dall'attività'—] Romani quas voces nos «*abstractas*» vocamus aliis modis saepe exprimebant; in quibus est *participium praesens* et *praeteritum*, aut *gerundivum* [de re futura]:

4. Cfr. ERNOU-THOMAS, *Syntaxe lat.*<sup>2</sup>, & 37; TESCARI, *Sintassi latina*, Torino [SEI] 1957, & 478; M. BASSOLS, *Sintaxis lat.* II, & 194, 5.

5. Cfr. LEUMANN-HOFMANN-SZANTYZ, *Lateinische Gram., Syntax...*, & 311 [*Explicatives und kausales quod...*]; PAOLI, *Sintassi latina*<sup>3</sup>, & 293; LLOBERA, *Grammatica*, n. 307; 313; MICHEL, *Grammaire de base du latin*<sup>2</sup>, Anvers [Sikkel] 1962, & 486, a; ERNOU-THOMAS, *Syntaxe lat.*<sup>2</sup>, & 304: ... «*La completeive proprement dite (je me réjouis [de ce] que) était alors proche de la causale (je me réjouis parce que)*».

1. «Sol oriens et occidens diem noctemque conficit» Cic. *de nat. deor.*, 2, 40, 101 [= ortus et occasus: 'la levata e il tramonto del sole'].

«Ineunte aetate». «Diis adjuvantibus».

2. «Homerus fuit ante Romam conditam».

«Ante Christum natum, post Chr. natum». — «Post libertatem amissam» ['dopo la perdita della libertà'].

3. «Liber de contemnenda morte» [= de contemptu mortis].

«Ab oppugnanda urbe Poenum absterruere conspecta moenia» Liv., 23, 1, 10. ['la vista della muraglia' — 'dell'attacco, dell'assalto della città' — 'la vue des murs' — 'l'assaut']<sup>6</sup>.

11. FACIAT: quod verbum plurimum a Cicerone usurpatur = «redat, efficiat».

12. INFIRMIUS: comparativum «absolutum» sine alio comparationis vocabulo [*alquanto, un po' una certa misura, troppo — bastante, no mucho, demasiado*: cfr. PAOLI, *Scriver latino*, & 79-81; ERNOUT-THOMAS, & 193].

13. PRIVET: cum ablativo sine praepositione; apud Ciceronem scriptum leges: «privare exilio, dolore, somno, se oculis».

14. FERET: 'quasi sempre, generalmente'.

15. VOLUPTATIBUS: *voluptas* 'id quo sensus aut corpus moderata fere delectatione explet'.

16. HAUD PROCUL: *haud* saepe adhibetur in efficienda *litote* praesertim cum quibusdam *adjectivis* et *adverbiis*: «*haud facile dixerim*», «*haud mediocris vir*», «*haud ignara futuri*», «*haud alius*». Cum *verbis* fere conjungitur his locutionibus *haud scio an*, *haud dubito an* — aliquando cum *verbis erro, ignoro, assentior, nitor*—: id saltem apud scriptores classicos, nam priscos et posteriores longe alia est libertas. Qua particula semel usus est Caesar, saepius Cicero in locutionibus pervulgatis. — Neque tamen est particula negativa *totius orationis*, sed *unius* notionis seu vocis *tantum*; attamen, ex ipso negationis et litotis usu, proprioque suo sensu, intentiore vi quam opposita affirmatione rem significat atque ad humaniorem et modestiorem dicendi rationem aptius accommodatur<sup>7</sup>.

6. Cfr. PAOLI, *Scriver latino*, & 38-45; ISSELÉ, *op. mem.*, n. 18; GANDINO, *Lo stile latino*, Torino [Paravia] 1962, 1, 1, 2; BERGER, *Stylistique lat.*, n. 68-73.

7. Cfr. BASSOLS, *Sintaxis latina*, II, n. 48 et 175-176; MAROUZEAU, *Traité de stylistique latine*<sup>4</sup>, 255-260 — ubi verus intimusque sensus negationis et litotis expenditur—; KREBS-SCHMALZ, *Antibarbarus der lateinischen Sprache*, Basel / Stuttgart 1962, s. v. *haud*; PAOLI, *Scriver latino*, & 196; 321, 3, note 1, 2, 3.

Sensus igitur locutionis *quod haud procul absit a morte*, praecisa litōte, vertitur in affirmativam *quod morti proxima sit*.

17. EARUM... CAUSARUM: id animadvertas oportet pronomen *is*, *ea*, *id* proprie non esse *demonstrativum*, eo enim neque spatio neque tempore res collocantur. Est tantum pronomen *relationis*, et *anaphoricum* dicitur quia sese refert ad alia —supra memorata— (gr. ἀναφέρειν); est pronomen quod ad vocabulum aut ad orationis tenorem — seu contextum — refertur<sup>8</sup>.

18. SI PLACET: quasi parenthesi includuntur similes loquendi formulae: «si placet, sis, si vis, amabo, amabo te, quaeso, credo, opinor, ut opinor»<sup>9</sup>.

19. QUANTA: *quantus* refertur ad magnitudinem, ad numerum: '*quanto grande*' — '*cuán grande*': adhibetur in primis in orationibus interrogativis et exclamativis: «quantum malum»: *quanto* [*qual grande*] *male*; «quantum periculi adsit»<sup>10</sup>.

20. UNAQUAEQUE: *quisque* et *unusquisque* sensum habent distributivum atque statutis locis seu casibus usurpantr. *Quisque* fere adhibetur cum pronomine reflexivo (*suus*, *se*), cum interrogativo aut relativo (*quas quisque*), cum superlativo (*optimum quemque*), cum ordinali (*decimus quisque*), cum comparatio et *ut* (*ut quisque meruerat, ita laudavit*); aliis locis ut latine reddantur '*chacun*' — '*cada uno*' — '*ciascuno*', *unusquisque* et aliquando *singuli* adhibenda sunt<sup>11</sup>.

21. VIDEAMUS: id est '*inspiciamus, inquiramus, consideremus*'; similes habes locutiones: '*in animo versemus (causas), ante oculos statuamus; animum intendamus in causas; mentem, cogitationem in causas defigamus; causae animum subeant; age nunc, animum referamus ad causas; causas perpendamus*'. Cfr. «Id primum *videamus*, si placet, quatenus amor in amicitia progredi debeat» Cic. *de amic.*, 11,36. «Nunc ea *videamus* quae»... Cic. *Acad.*, 2,40.

22. Nunc autem totam periodum inspiciamus: quae primum conjunctione *etenim* inducitur: qua conjunctione res supra memorata

8. Cfr. ERNOUT-TH., *Syntaxe lat.*, & 214. —Optima sunt quae a Paoli (*Sin tassi lat.*<sup>3</sup>, & 105 et *Scriver latino*, & 98) de hoc pronomine traduntur.

9. Cfr. ERNOUT-TH., *Syntaxe*, & 370; BERGER, *Stylistique lat.*, & 158; PAOLI, *Scriver latino*, 291,2, a.

10. Cfr. M. BASSOLS, *Sintaxis lat.*, I, 214; PAOLI, *Scriver lat.*, & 64.

11. Cfr. ERNOUT-THOMAS, 204, 205; PAOLI, *Scriver lat.*, & 115; LEUMANN-HOFMANN-SZANTYZ, *Syntax*, & 108, pp. 199-200.

quodam modo completur et in exponenda Ciceronis mente ulterius progreditur.

Insequitur *cum*: quo actionem verbi (*complector*) eodem tempore fieri significatur ac verbi primarii actionem (*reperio*); cum igitur haec actio *simul facta* exprimatur, *cum* est vere *temporale* [cfr. PAOLI, *Sintassi lat.* & 277; ERNOUT-TH., *Syntaxe lat.*, 259-360] et *indicativo* efferrī debet.

Deinde, causae explicantur cur senectus misera quibusdam videatur; «*cur*» causam inducit atque interrogationi praeponitur: quae cum sit *indirecta*, *subjunctivo* construitur. In quo tamen *subjunctivo* explicando parum attendas velim. Nam, licet ab antiquis temporibus *subjunctivo* saepe efferantur hae propositiones *interrogativae*, tamen legi subjectionis — id est *subordinationis* seu *hypotaxis*, ut grammatici loquuntur — vulgus haud libenter se subiecit; ut exemplis utar, apud Petronium scriptum est (*Sat.*, 76, 11): «Mihi non dixerat *quid* pridie cenaveram»; et apud Plautum (*Men.*, 349): «Videamus *qui* hinc egreditur»; et in Terentii *Heautontimorumenos*, 494: «Scin *quid* nunc facere et *volo*? — Neque pœetae posteriores hac lege constringuntur: «Admirari desine, *cur* fugiunt» (*CATUL.*, 69, 10); ac vel in Ciceronis *Tusculanis*, 1,10: «Dic, quaeso, *num* te illa terrent» [ita ERNOUT (*Synt. lat.*, § 316) legit; alii, contra, ut DREXLER, in editione MONDADORI: «Dic quaeso: num te terrent.»]; et (*Cic. ad Att.*, 1,1,4): «Vides... in *quo* cursu sumus» [ERNOUT et omnes fere codices; alii, ut WATT, in editione Oxoniensi: *simus*] <sup>12</sup>.

Denique, singulae recensentur causae: quae ita in oratione digeruntur ut et *numerum* quendam efficiant et ex verborum collocatio-  
ne *concinntitas* enascatur: quae aptius intelleguntur si ita versus disponuntur:

- *unam quod avocet a rebūs gērēndīs,*
- *alteram quod corpus faciāt infirmūs,*
- *tertiam quod privet omnibus ferē vōlūptātībūs,*
- *quartam quod haud procul ābsit ā mōrtē.*

*Earum, si placet, causarum quanta quamque sit unaquāēquē vidēāmūs.*

Habes etiam clausulas signatas quibus Tullius maxime utitur.

JOSEPHUS M.<sup>a</sup> MIR, C. M. F.

In Instituto Pontificio Altioris Latinitatis Professor  
Via Sacro Cuore di Maria, 5, 00197, ROMA

12. Cfr. ERNOUT-TH., *Synt. lat.* & 316; BASSOLS, *Sintaxis lat.*, II., 171-173.

# DE ALOISIO TRIPEPI CARDINALE

Inter clarissimos doctissimosque viros, qui Regii Julii, in urbe pulcherrima et ornatissima Italiae Inferioris saeculo XIX floruerunt, tempore postremus, non dignitate quidem, Aloisius Tripepi est collocandus.

Is Cardeti a. d. IX Kal. Julias a. D. MDCCCXXXVI, amplissima et marchionali natus est familia.

Admodum puer, ut vitae ecclesiasticae initiaretur, Societati Jesu nomen dedit atque litterarum latinarum graecarumque magistro usus est DIDACO VITRIOLI, qui princeps in certamine poetico Hoeufftiano ab Academia Regia disciplinarum Nederlandica indicto, carmine illo, c. t. XIPHIAS, aureum praemium reportavit.

Incredibili quadam mentis celeritate praeditus, se ad ingenuarum artium studia contulit atque Homeri, Pindari, Vergilii, Horatii, ce-  
teorumque poetarum carminibus maxime delectatus, poeticae totus se tradidit, tantumque in ea profecit, ut puer annos natus non magis tredecim, cum in lucem carmen latina lingua concinnatum, edidisset, aequalium animos virorum in se converteret atque eorum benevolentiam, amicitiam, familiaritatem sibi conciliaret. Adulescens, cum studiorum causa Neapolim petivisset, ut optimos philosophiae magistros Societatis Jesu audiret et optima quaeque perdisceret, in beata Parthenopeia regione non otiosus moratus est, sed temporibus subsicivis quam plurimos juvenes conduxit ut omni studio in mathematicam incumberent.

Anno MDCCCLXIII, adversa valetudine, facere non potuit quin desereret Jesu dulce sodalicium. Anno insequenti, a Mariano Ricciardi, Reginensi Archiep. Romae, sacerdos creatus, in patriam missus est ut sollertem sacrorum alumnis instituendis operam daret, quo perarduo munere Tripepius noster maxima cum sui laude plurimorumque alumnorum, erga quos speciem boni parentis prae se ferebat, profectu est perfunctus. Ille, qua sua ingenii praestantia, non modo bonas litteras, verum etiam disciplinas, maxime coluit et docuit.

Pro maximis quibus pollebat litterarum optimarum artium ornamentis, contiones orationesque sacras habuit, et tam plane, tam perspicue, tam dilucide dixit, ut non saepe sed saepius clamores fecerit. Inde cum Romam revertisset, rhetoricam, eloquentiam, theologiam, philosophiam, mathematicam, litteras graecas et latinas, in quibus maxime excelluit, docuit.

Cum illis temporibus in Italia flagitiosorum secta hominum, qui Christi lucem odio insectantur, tam contumeliis cum furore saepe-

numero in Pontificem Maximum insaeviret, omni ope atque operam enisus est, ut inimicorum Christiani nominis vim imminueret.

Ille enim non modo omnem dicendi facultatem ad Ecclesiae utilitatem retulit; verum etiam studio et ardore scriptis eorum errores debellare numquam destitit. Per quattuor et viginti annos, singulis hebdomadis, dissertationes de Summis Pontificibus habuit, et circulos et congregationes virorum doctorum instituit, qui rem nomenque Christianum defenderent. Scriptor doctrina excultus rerumque non limatus, plenus animi, vehemens, creber sententiis, sua scripta in catholicorum scriptiones, quae vel cotidie vel in dies certos vulgari solent apud nos; ephemeridum q. t. *Scienza Cattolica e Papato*, et *L'Osservatore Romano* moderator fuit.

Caducae gloriae contemptor, omnes dignitatis gradus affectavit. Nam a Pío IX hymnographus pontificius creatus est, in quo munere a Leone XIII, qui Triepium in deliciis habuit, est confirmatus.

Ab eo primum iudex librorum notandorum atque Cubicularius intimus supra numerum factus est, legatus in Lusitanos missus est ut Oporti Episcopo sacrae purpurae insigne deferret; postea inter antistites domus Pontificis Maximi adlectus eodemque tempore Sacri Consilii ad causas rerum iudicatarum dirimendas iudicibusque adsignandis referendarius, tum ab Actis Sacri Consilii studiis historicis promovendis, Canonicus Vaticanus, adlectus inter iudices in haeresim, denique Sanctae Romanae Ecclesiae tabularius, Supremi Consilii sacris Ritibus praepositis ab Actis, proximus ab Eminentissimo Viro publicis Ecclesiae praeposito atque ab arcanis notis; in extremum, mense Aprili, a. D. MCMI, a Leone XIII in publico Consistorio in amplissimum Purpuratorum Patrum Collegium est cooptatus.

Triepius opera inedita amplius centum voluminibus continentur: inedita decem et amplius reliquit.

Cum ad senectutem pervenisset, Aloisius Triepi, in Deum pietate vitaeque aequabilitate morumque suavitate praestantissimus, annos septuaginta natus, e vita excessit.

FRANCISCUS ALOISE

Summi Pontificis Cubicularius intimus

LONGOBARDI (Cosenza) in Italia



# BIBLIOGRAPHIA

LIVREA, E. — *Colluto: Il ratto di Elena*. Casa Editrice R. Pàtron, Bologna, 1968. Pag. LVIII - 275. L. 3.900.

Laudandum sane propositum Prof. E. Livrea e tenebris educendi Colluthum scriptorem senioris epicae graecae ejusque opus quod "Helenes raptus" inscribitur. Primum in introductione de vita Colluthi ejusque scriptis agitur, de textus traditione atque codicibus, de bibliographia ad editiones, versiones, disputationes criticas atque exegeticas cet. quod attinet (pag. XI-LIII). Deinde sequitur textus graecus cum accurata interpretatione italica selectoque apparatu critico (pag. 6-51). Reliquam denique partem voluminis eamque per amplam quae explicatione indigent, linguisticae, stilisticae, historice annotantur (pag. 55-247). In indice verborum extremi operis Colluthi voces memorantur (pag. 251-271).

GRECO, A. - MONACO, M. - CARETTONI, G. — *Aspetti dell'umanesimo a Roma*. Istituto di Studi Romani, Roma, 1969. Pag. 94.

Quae in hoc volumine continentur lectiones habitae sunt per curriculum ab auctoribus anno academico 1967-1968 recurrente Institutoque Studiis Romanis fovendis curante. Quarum lucubrationum ope cuncti. professores italici quantum momentum habuerit urbs Roma ad litteras artesque renascentes quod attinet eruditissime disputant. Indicem saltem earum lectoribus praebeamus: I. MICHELE MONACO: *Avvenimenti politici, economici e sociali* (p. 9). II. AULO GRECO: *Momenti e figure dell'Umanesimo*

romano (p. 31). III. GIANFILIPPO CARETTONI: *La riscoperta dei monumenti romani* (p. 73). Opus finitur indice nominum scriptorumque memoratorum et indice tabularum XXII photographicarum (p. 87-92).

STACCIOLI, R. A. — *Modelli di edifici etrusco-italici. I Modelli votivi*. Sansoni editore, Firenze, 1968. Pag. 114; tavole LXVII.

Cum maxima sit lacuna in architectura tusca atque italica documentorum quibus constet quibus tegumentis seu tectis templa olim cooperirentur, archaeologi fragmenta votiva in primis exploraverunt quae formam monumentorum funerariorum haberent.

Prof. R. A. Staccioli, superioribus investigationibus fretus, praecipua praeterea hujus modi monumenta quae exstant colligit eaque LXVII tabulis photographicis repraesentat. Fragmenta votiva quae in regionibus Etruriae, Latii et Campaniae non hellenicae sunt inventa saeculaque VII-I a. Chr. spectant, religiose accurateque ab auctore explorantur. Primum igitur unumquodque exemplum votivum R. A. Staccioli describit (p. 15-66); deinde propria seu notas cujusque fragmenti archaeologici exprimit documentalemque virtutem significat. In fine operis prostant indices locorum effossorum, museorum, nominum propriorum.

SYME, R. — *Ten Studies in Tacitus*. Clarendon Press, Oxford, 1970. Pag. 152. 40s net.

En decem de Tacito disputationes quarum indicem lectoribus commoda-

mus: I. The Senator as Historian. II. How Tacitus Came to History. III. Tacitus on Gaul. IV. Marcus Lepidus, *Capax Imperi*. V. Some Pisones in Tacitus. VI. Personal Names in *Annales I-VI*. VII. Obituaries in Tacitus. VIII. The Historian Servilius Nonianus. IX. The Friend of Tacitus. X. The Political Opinions of Tacitus. Addenda. Index of Personal Names.

Quae decem de Tacito disputationes distinctae videntur non tantum propter res quae in eis agitantur verum etiam propter originem earumque finem; tres enim primae disputationes et decima in scholis non nullarum universitatum sunt habitae; caput IV, V, VI ad investigationem historicam et criticam textualem pertinent; ceteris capitibus de rebus quae in persona Taciti quamdam quasi unitatem habent, diserte agitur; demum caput X controversiae destinatur de tempore quo *Annales* exarati sunt deque origine scriptoris historici.

LOYEN, A. — *Sidoine Apollinaire, t. II, Lettres* (livres I-IV), t. III, *Lettres* (livres VI-IX). "Les Belles Lettres", Paris, 1970, F. 42 et 38.

Sidonii Apollinaris Litterae adeo praestant ut fontes praecipui videantur ad vitam Occidentis saec. V cognoscendam atque illustrandam, praesertim ad historiam litterariam quod attinet. Inde opportunissimam jure putamus editionem Prof. A. Loyen vol. II et III Sidonii Apollinaris nuper vulgatam. Praemittitur primum introductio locupletissima ubi de momento historico litterarum agitur (Le I livre et l'Ambassade de 467. L'élévation à l'épiscopat et les sièges de Clermont. L'exil. La date de publication des deux derniers livres. La

noblesse sénatoriale. L'Eglise, les Clercs et les Fidèles. Les Barbares); auctor quoque pertractat epistularum in litteris latinis momentum; postea de textu litterarum ejusque traditione per codices disputatur. Deinde textus latinus patet, duplici columna duplici numero signata, accurata versione francogallica instructus. Textus et interpretatio in altero volumine insequitur ita ut primo vol. libri I-V et secundo libri VI-IX litterarum Sidonii contineantur. Litterae illustrantur annotationibus quae in extremo volumine prostant cum chronologia earum litterarum et indice nominum priorum in secundo volumine; quae volumina recensenda curavimus quaeque lectoribus commendamus.

WINTERBOTTOM, M. — *M. Fabi Quintiliani institutionis oratoriae libri duodecim*. Tom. I, libro I-VI. Pag. XXVII-364; Tom. II, libri VII-XII. Pag. VII-775. Oxonii e typographeo Clarendoniano anno MCMLXX. 45s net vol.

Scriptorum Classicorum Bibliotheca Oxoniensis duobus his novis voluminibus honestatur quibus M. F. Quintiliani opera nuper edidit M. Winterbottom cura qui ea recognovit brevique annotatione critica instruxit Non nullam de voluminibus lectoribus praebeamus notitiam. Ad primum volumen quod spectat, praefatio praesertim codicum traditioni dicatur; indice editorum et virorum doctorum qui infra laudantur et compendiorum indice et siglis praemissis, textus latinus sex priorum librorum Quintiliani exstat brevi apparatu critico instructus. Volumen alterum libros VII-XII continet. Index nominum et locorum ad utrumque volumen pertinentium utilissimum reddit opus. Universitati Oxoniensi Professorique

M. Winterbotton quam maximas habemus gratias quod hac nova Quintiliani nos donarunt editione, quam omnibus probatum iri magistris et alumnis et magnopere sine dubio in deliciis fore existimamus.

WINTERBOTTON, M. — *Problems in Quintilian*. University of London, Institute of Classical Studies, 1970. Pag. 225.

Hic liber ab Instituto Studiorum Classicorum Universitatis Londiniensis editus verum exstat supplementum superioris operis a M. Winterbotton parati cuius antea recensionem criticam fecimus. Si sententiam auctoris observamus, utrumque volumen una simul legendum est; nam aliter quidam de Quintiliani adspetus, quamvis non multi, obscuriores in opere superiore manent quae novo opusculo illustrantur. Indices uniuscujusque partis libri quae continent evidenter ostendunt: I. The older manuscripts of Quintilian (pag. 3-35); II. Orthography (pag. 35-61); III. Notes Quintilianae (pag. 61-219). Finiunt demum volumen "Index locorum", "Index rerum", "Addenda".

MUGLER, CH. — *Archimède, t. 1: De la sphère et du cylindre. La mesure du cercle. Sur les conoïdes et les sphéroïdes*. "Les Belles Lettres", Paris, 1970, Pag. XXXIII-258. F. 45.

Tria Archimedis scripta geometrica hac editione vulgantur. Volumen exordium sumit erudita introductione, ubi Prof. C. Mugler non nulla de clarissimi sapientis syracusani vita habet de ejusque operibus, in quibus enumerantur plurimae machinae et artificia, experimenta in Syracusarum

portu, scripta theorica, inventa Archimedis in disciplinis mathematicis puris et mathematicis quae rebus applicantur; auctor quoque inquirat quo modo Archimedes opera sua vulgaverit eaque quae exstant indice consignat non nulla de docendi munere exponens; postea de operibus sive omnino sive partim deperditis loquitur momentumque Archimedis in scientiis mathematicis ostendit. Reliquae introductionis paginae textui dicantur, ubi manu scripta graeca et latina editionesque recensentur. Deinde textus apparet castigata elegantique interpretatione instructus trium opusculorum geometricorum quae notitia quadam praevia annotationibusque subsequentibus explicantur.

PICARD, G. — *Rome*. Coll. Archaeologia mundi. Ed. Sequoia-Elsevier, Bruxelles, 1969. Pag. 284.

Inter volumina corporis, cui index "Archaeologia mundi" est, opus G. Picard magnopere eminent. Primo libri capite historiam archaeologiae romanae describit, quae originem quodam modo habuit in cineribus Herculani Pompeiorumque effodiendis; praecipuas locorum romanorum effossiones enarrat auctor non tantum in Italia verum etiam in multis aliis regionibus Europae, Africae, Orientis peractas. Altero capite Prof. G. Picard de quaestionibus ac viis archaeologiae romanae in effossionibus perficiendis disertissime agit, necnon de fictilibus quae inveniuntur, de restituendo urbis situ, de imaginibus ac picturis, de monumentis funerariis ceterisque ad archaeologiam romanam quod spectat.

Opus Prof. G. Picard nova rerum archaeologicarum romanarum tractatio nobis videtur eaque hodierna et novissimis in investigando rationibus

ac viis confirmata pulcherrimisque imaginibus vivo colore depictis ac photographiis exornata.

MONTEIL, P. — *Théocrite, Idylles* (II, V, VII, XI, XV). Presses Universitaires de France, 1968. Pag. 168.

En tibi, humanissime lector, et accuratissima et jucundissima editio quinque Theocriti idylliorum dorico-rum, quibus praedit introductio, ubi praecipua Theocriti vitae operumque colliguntur, necnon et quaestiones quoque praecipuae de traditione textuali, bibliographia, lingua. Quae ad linguam Theocriti in primis spectant quaestiones in quodam compendio exponuntur, quod "Precis sur la langue de Théocrite" inscribitur quodque, vel reliqua introductione amplius, huic volumini magnam afferet utilitatem.

Idyllia brevissimo apparatu critico instructa opportunis annotationibus explicantur prout res postulat atque necessitas scholasticorum quibus editio destinatur. Haec sunt idyllia quae in volumine prostant: Id. I: *Les Magiciennes*. Id. V: *Chevrier et Berger*. Id. VII: *Les Thalysies*. Id. XI: *Le Cyclope*. Id. XV: *Les Syracusaines*.

POMEROY HARRINGTON, K. — *The Roman elegiac poets*. Ed. Norman: University of Oklahoma Press, 1968.

Haec abundans selectio quattuor poetarum elegiacorum latinorum, tum commentariorum tum eruditione introductionis, iis in primis scholasticis destinatur qui poeseos latinae non mediocres facti sunt jam certiores. Textus stabilitus est ab auctore qui quamplurimis disputationibus criticis aliorum scriptorum usus est recentissima inventa secutus hodiernae inves-

tigationis criticae. Finis quem Prof. K. Pomeroy Harrington sibi proposuit hanc poematum selectionem efficiendo locosque Catulli, Tribulli, Propertii Ovidiique saepe conferendo, non aliud videtur quam scholasticos adjuvare ad acquirendam poeseos latinae per hoc genus elegiacum cognitionem.

In introductione, quae ex 67 paginis constat, dilucide eruditeque dissertitur de elegia apud graecos ac romanot atque de Catullo (pag. 25-31), de Tibullo (pag. 31-43), de Propertio (pag. 43-54), de Ovidio (pag. 55-61), non nullis quoque de disticho elegiaco disputatis. Notulae atque commentationes, quibus textus illustratur, lingua anglica sunt conscriptae.

LA PENNA, A. — *Orazio e la morale mondana europea*. Sansoni Editore, Firenze, 1969. Pag. 184.

Nihil dubii est quin Horatius apud plurimos sapientes litteratosque viros tamquam magister artis vivendi extiterit. Prof. A. La Penna Horatium nobis vindicat temptavisse sensum quendam "laicum" vitae, quamdam immo vivendi voluptatem. Quam vivendi voluptatem Horatius collocat in ratione illa antiqua quam "democriteam viam" appellare licet. Juxta hanc regulam morum homo libertatem in primis interiorum colit atque defendit, adeo ut mores rei publicae seu communitatis statalis eam minime perturbent. Per hanc viam democriteam atque epicuream incedere Horatius nititur: vis vitae atque momentum voluptati temporis praesentis est creditum et homo vita frui tantummodo valet cum sese liberare assecutus est metu rerum crastinae diei anxietate; momentum enim vitae in eadem fruenda super terram consistit. Nuntius quidem Horatii moralis ad ho-

mines europaeos hic plane videtur: "authárkeia" laica, seu libertas animi interior. Quae fides laica ac terrena non tantum in homine uno privatoque manet, verum etiam ceteros praesertim homines conjungit ut per naturae dominationem justitiaeque progressum in eandem vivendi rationem perveniant.

Hanc regularum vivendi rationem horatianam Prof. La Penna exponit eruditissime Venusini poetae carmina passim memorando subtiliterque ea interpretando, ut Horatius ante oculos nostros nostraque aetate assurgat homo recens, vividus, hodiernus planeque europaeus.

BREGLIA, L. — *L'arte romana nelle monete dell'età imperiale*. "Silvana". Editore d'arte, Milano, 1968. Pag. 236. L. 12000.

Hoc sibi auctores et editores proposuerunt: legentes facere certiores tantummodo studiosos, magis quam rei peritos, de ratione ac momento—in praesens minus notis—nummorum romanorum aetatis imperialis ad melius cognoscendam illorum temporum artem.

Materia accuratissime seligitur ex optimis tum italicis tum exteris collectionibus. Iis ergo monetis splendidae imperatorum imagines revocantur atque exprimuntur. Duae quoque introductiones B. Bianchi Bandinelli de universa arte romana et L. Breglia de monetis nova luce conspergunt hanc archaeologiae romanae amplissimam dicionem. Ope CCCIII imaginum seu illustrationum quae primum mensura originaria deinde amplificatae afferuntur unaquaeque eaque selecta moneta investigatur. Nihil est nobis dubii quin opus L. Breglia ad ulteriores investigationes novam tutamque aperuerit viam.

MAIURI, A. — *Ercolano e la villa dei papiri*. Istituto Geografico de Agostini, Novara, Pag. 39.

Hoc opusculum quod lectoribus nostris offerimus pulcherrimum est itinerarium archaeologicum per urbem illam Herculaneum a clmo. viro A. Maiuri exaratum. Optima charta papyracea optimisque imaginibus tum nigris tum variis vividisque coloribus impressis urbs illa in archaeologia romana celeberrima quasi e ruinis cineribusque suis mirum in modum consurgit adeo ut viator sibi nunc temporis videatur libere deambulare per urbis vicos, per forum, per theatrum, per basilicam, per templa, per thermas, per palaestram virorum feminarumque, per domos privatas "Villamque tandem illam papyrorum" ubi tot documenta artis cultusque humani feliciter sunt inventa. Miraculum quasi fecerunt editores qui tam paucis paginis tanta in re archaeologica in lucem protulerunt; quam ob rem eis auctorique hujus per Herculaneum itinerarii significanter gratulamur.

PASQUALE, M. — *Epitetto, Il Manuale*. Iapigia Editore, Bari, 1968. Pag. 127. L. 1000.

Haec nova versio Manualis Epicteti philosophi vestigia sequitur editionis Teubnerianae cui est index "*Epicteti dissertationes ab Arriano digestae*" Lipsiae anno 1916 in lucem editae. Sed primum in introductione auctor de Epicteti vita deque philosophia quae in Manuali continetur diserte loquitur. Deinde textum sequitur Epicteti accuratissima versione italica conversus scitissimoque commentario instructus, ubi cogitata, quae explicatione indigent, illustrantur a Prof. M. Pasquale qui locos praeci-

puos antiquorum scriptorum M. A. Aurelii, D. Laertii, Simplicii, Ciceronis, Senecae ceterorumque memorat cum Epicteti conferendo.

Hac via ac ratione novus Epictetus ante hodiernos homines apparet, verus perpetuusque hominum ad mores conformandos institutor.

MANNI, E. — *Lucio Sergio Catilina*. Ed. Palumbo, Palermo, 1969. Pag. 230. L. 2800.

Catilinae species atque figura —ut ipsius auctoris verbis utamur— animos studiosorum hominum semper allicit qui appetunt praecipua historiae humanae momenta in praesens quasi revocare. Nonne id videtur expressio quaedam studii libertatis atque iustitiae apud homines in primis vero temporibus illis criticis quibus res socialis atque politica periclitantur et ab omnibus vehementer agitantur? Totius conjurationis catilinae historia retractatur quinque capitibus quorum index: 1. *I precedenti della congiura* (pag. 9-29), 2. *Il programma di Catilina* (pag. 31-66), 3. *L'azione* (pag. 67-91), 4. *La sconfitta di Lentulo* (pag. 93-138), 5. *La caduta di Catilina* (pag. 139-160). Professor E. Manni Catilinam proponit non ut vulgarem rerum novatorem sed iustitiae in eo studium vindicat adversus imperium Ciceronis Senatusque absolutum ac rei publicae statum exstructurasque politicas altioris renovationis indigentes.

VILLE, G. — *Dictionnaire de l'Archéologie*. Librairie Larousse, Paris, 1968, Pag. 256.

Corpus lexicorum officinae librariae Larousse quod "*Dictionnaires de l'homme du XX siècle*" inscribitur, novo locupletatur volumine de uni-

versa archaeologia. Totius enim hoc lexico archaeologiae quasi summa seu compendium lectoribus proponitur. Ibi populi, urbes locique memorantur ut eorum populorum humani cultus, artes, instituta ad oculos recentium hominum revocentur. Quo opus versaverit, facile praecipua in re archaeologica inveniet quae sive ad scripturam seu alphabetum sive ad rationes technicas novissimarum effossionum, sive ad scientias quas auxiliares vulgo appellamus, sive ad quamque vocem technicam ab archaeologis saepe usitatam spectant.

Opere quoque praecipua bibliographia continetur clarissimorum omnis aetatis omnium archaeologorum.

MEERSSEMAN, G. G. — *Problemi di storia della Chiesa antica sec. II-IV*. Ed. "Vita e Pensiero", Milano, 1970. Pag. 520. L. 6500.

Volumen constituunt lectiones habitae m. septemb. a. 1967 a peritissimis viris ad profesoress historiae ecclesiasticae in seminariis italicis. Quibus lucubrationibus intenditur hodiernum praebere conspectum hujus disciplinae historicae ut recentia nostra tempora expostulant. In re igitur per ampla investigatio intra fines saec. II-IV Ecclesiae circumscribitur posterioribus periodis historiae ecclesiasticae in alias lectiones habendas protractis.

En tibi, lector, lucubrationum index cum peritissimis earum auctoribus: G. G. MEERSSEMAN, *L'insegnamento della storia ecclesiastica nel quadro delle discipline teologiche*; L. POLVERINI, *Società antica e cristianesimo*; M. SORDI, *Impero romano e cristianesimo*; J. COLSON, *L'organisation ecclésiastique aux deux premiers siècles de l'Eglise*; M. MACCARRONE, *Lo sviluppo dell'idea dell'episcopato*

nel II secolo e la formazione del simbolo della cattedra episcopale; A. FERRUA, *Problemi archeologici per l'insegnamento della storia ecclesiastica*; G. D. GORDINI, *Le fonti agiografiche*; A. RIMOLDI, *Il culto di San Pietro*; F. BOLGIANI, *Patrologia e storia della Chiesa antica*; I. DA MILANO, *La spiritualità cristologica dei Padri apostolici agli inizi del monachesimo*.

FONSECA, C. D. — *Medioevo canoniale*. Ed. "Vita e Pensiero", Milano, 1970, Pag. 214. L. 5500.

Ipsa auctor propositum operis nobis declarat: Minime intenditur aliud quam retractare historiam atque experientiam institutionis canonicalis societatis christianae saec. XI-XII in re sociali, religiosa, spirituali quod spectat.

Si tua interest en operis index: *Parte prima*: Il formarsi di una coscienza storica canonica attraverso polemiche giurisdizionali e storiografiche (pag. 3-71). *Parte seconda*: Contributo al "Corpus consuetudinum canonicarum italicarum" (pag. 73-189). In extremo opere prostant ut in appendice non nulla de Regulis medii aevi canonicorum cum indicibus nominum, codicum, tabularum seu documentorum quae in bibliothecis tum Romae tum Italiae asservantur.

SCAZZOSO, P. — *Richerche sulla struttura del linguaggio dello Pseudo-Dionigi Areopagita*. Ed. "Vita e Pensiero", Milano, 1967. L. 6000.

Introductionem ad legenda opera pseudo-dionysiana hoc volumine auctor nobis offerre intendit, ut tutiore pede mysticum scriptorem tot linguisticis difficultatibus passim obrutum expeditius legendum ingrediamur. Quem ad finem Prof. P. Scazzoso

haec capita diserte pertractat: I. Carattere del linguaggio del *Corpus*. II. La liturgia — Chiesa nel *Corpus* e la parola che la sprime. III. L'apofatismo, anima della liturgia — Chiesa pseudo-dionisiana. IV. Il linguaggio del *Corpus*, l'architettura e l'iconografia bizantina. V. Rivelazioni del linguaggio sul tema della contemplazione. VI. Riflessi dello pseudo-Dionigi nel mondo bizantino e nel Medio Evo occidentale.

PARECCHI AUTORI. — *Contributi dell'Istituto di Archeologia*, vol. II. Ed. "Vita e Pensiero", Milano, 1969. Pag. 160. L. 6000.

Cum primum volumen a peritis et studiosis rerum archaeologicarum summa exspectatione esset receptum, Institutum Archaeologiae Mediolanense in lucem alterum volumen edere constituit quod lectoribus recensendum manibus versamur. In eo inveniuntur quinque lucubrationes quarum liceat non nullam exhibere notitiam. C. BOZZI vascula Italiotarum investigat quae in collectione archaeologica R. Paribeni asservantur; R. DEL MONACO de quaestionibus criticis agit quae ad picturam Tuscorum saec. V spectant; M. P. ROSIGNANI magna documentorum copia nondum in lucem editorum exornationem architectonicam in materia aenea pertractat; R. D'ANDRIA annotationes quasdam affert de musivis quae in Palatio Imperiali Constantinopolitano inveniuntur; A. RUGGIU demum occupationi Brixiae a Longobardis investigandae vacat.

STEINDL, E. — *Luciani Scytharum Colloquia*. Lipsiae in aedibus Teubnerianis 1970. Pag. XIV-88.

Opus praefatione initium sumit, ubi quare hoc nomine dialogi Scytharum

recte significantur, erudite disseritur necnon quae fuerit eorum historia; non nulla praeterea de ordine horum libellorum dicuntur et demum de Luciani codicibus quibus haec Scytharum Colloquia tradita sunt, agitur. Adduntur conspectus editionum Luciani, conspectus Luciani codicum quibus Scytharum Colloquia insunt. Tandem textus graecus Colloquiorum prostat accuratissimo apparatu critico instructus; indice nominum et locorum opus finitur.

WESTERINK, L. G. — *Olympiodori in Platonis Gorgiam commentaria*. Ex aedibus Teubnerianis Lipsiae anno 1970. Pag. XXI-313.

Ut mos est in edendis textibus graecis et latinis officinae librariae Teubnerianae, L. G. Westerink in primis adspectum criticum fere unice tractat de codicibus in universum primum agendo et deinde de codice Marciano. Ante textum graecum editiones praecipuae, commentationes, sigla demum consignantur; deinde textus Olympiodori graecus inseritur apparatu critico illustratus. Huc accedit quod indices auctorum, nominum, verborum, index quoque grammaticus haud parva utilitate donatur opus.

MILHAN, M. E. — *Apicii decem libri qui dicuntur de re coquinaria et excerpta a vinidario conscripta*. Lipsiae ex aedibus Teubnerianis, 1969. Pag. XV-116.

Hac editione duo opera distincta quamvis minime discernenda includuntur; utrumque opus quod Apicio tribuitur, conscriptum esse videtur novissimis quarti saeculi annis vel quin-

ti primis, ita ut ad infimam latinitatem quae dicitur spectent. Quae aliaque pertractat introductione M. E. Milhan hanc novam editionem studiosis latinitatis praebens. Non nullas praeterea annotationes grammaticas de dicendi genere et orthographica ratione, de usu temporum verbalium, de codicibus tandem praecipuis quibus utrumque opus ad nos pervenit. Conspectus librorum cum abbreviationibus datur, ubi editiones consignantur, necnon omnes traductiones recentiores dissertationesque et annotationes selectae.

Hac praefatione facta textum latinum adire licet, ubi quamvis locutionibus verbisque infimae latinitatis lautissimas compositiones culinarias Apicii jucundissime invenies.

COURTNEY, E. — *C. Valerii Flacci Argonauticon libri octo*. Ex aedibus Teubnerianis Lipsiae a. 1970. Pag. LVIII-192.

In praefatione haec tractantur quae cognoscantur digna aestimamus: I. De textus traditione. II. De codice Vaticano. III. De codice Sangallensi restituendo. IV. De necessitudine quae inter S et V intercedit. V. De Vaticani apographis. VI. De exceptis. VII. De corruptelae quibusdam generibus (transpositiones dicimus, additiones, falsas verborum divisiones, adsimilationes, errores quos psychologicos vocaveris, suppositiones, permutationes vocum similium, interpolationes). VIII. De orthographia. IX. De editionibus praecipuis. X. De huius editionis rationibus. Deinde index insequitur librorum et commentationum in apparatu laudatarum conspectusque siglorum. Deinde textus latinus librorum octo apparet selectissimo apparatu critico locupletatus. Index nominum opus exornat.



FARANDA, R. — *L'Istituzione oratoria di Marco Fabio Quintiliano*. Unione Tipografica Torinese (U.T.E.T.), Torino, 1968. Vol. primo, pag. 778. L. 8500. Vol. secondo, pag. 778. L. 8500.

De litteris latinis meritissimum aestimamus Prof. R. Faranda quod monumentum vere aere perennius ad M. Fabii Quintiliani rhetoris hispani laudem duobus his voluminibus exegerit. Opus plane perfectum absolutumque. In primo prostat volumine introductio in qua dissertissimus qui est auctor de quaestionibus ad Quintilianum spectantes disputat: de vita rhetoris, ejusque vicissitudinibus, praesertim vero de necessitudinibus cum Imperatoribus qui eum Romae apud se habuerunt tantisque beneficiis, ut institutoris officia muneraque erga juvenes expeditius obiret, cumlaverunt; de Quintiliani familia, de ejus proposito studioque integerrime servandae linguae latinae et oratoriae intra canones regulasque Ciceronis adversus omne genus novitatum exterrarum; de "*Institutione oratoria*" qua Quintilianus quandam quasi formam mentis in juvenibus romanis conformare cupiebat optimorum majorum traditionem rationemque oratoriam et stilisticam insecutus. Deinde auctor de iis quae opere Quintiliani continentur agit ut denique appendice quadam critica de codicibus fuse eruditeque agitet quaestiones.

Per utilem annotationem bibliographicam aestimamus eamque selectam ac recentem. Ad interpretationem italicam quod spectat omne auctor tulit punctum, praesertim cum genus dicendi ad sermonem quodam modo dilabens religiose observaverit, quae praecipua virtus *Institutionis oratoriae* videtur una cum indole operis didascalica.

M. F. Quintiliani *Institutio oratoria* XII libros comprehendit quorum sex primos primo quoque volumine interpretatur auctor reliquosque sex altero volumine colligit. In quo volumine in postremis operis paginis utilissimus prostat rerum nominumque index quem adire licet ad quoslibet Quintiliani locos facile memorandos.

SIMONETTI, M. — *La letteratura cristiana antica greca e latina*. Sansoni - Academia, Milano, 1969. Pag. 422. L. 1500.

Litterae christianae e christiana doctrina vitaeque oriri debebant cum mysterium Christi, quod mira mundum donavit vivendi credendique novitate, novo quoque dicendi genere necessario esset hominibus exponendum. Id sibi proposuit auctor: historiam litterarum tum graecarum tum latinarum perlustrare duplici operis parte; in prima enim de litteris christianis jam inde ab earum origine usque ad pacem quam constantinianam appellamus, ubi scitissime agitur de Novo Testamento, de scriptis in sacris litteris spirantibus, de operibus apocryphis, de initio poeseos christianae, de apologetis graecis saec. II, de scriptis haereticis saec. quoque II, de litteris adversus haereses, de scriptoribus alexandrinis saec. III, de operibus hagiographicis. Altera autem parte haec maximi momenti continentur quae saeculum IV et V comprehendunt: Controversia arriana. Scriptores qui in Syria, Palaestina, Asia Minore regionibusque occidentalibus opera conscripserunt. Litterae quae in monasteriis sunt exortae. Scriptores Syriae aliarumque regionum finitimarum, Scriptores Aegypti Libyaeque. Poesis christiana occidentalis cum Prudentio principe. Hieronymus, Augustinus ejusque sectatores inimi-

cique. Opus utiliter finitur annotatione bibliographica rerumque indice analitico.

FRISK, H. — *Griechisches etymologisches Wörterbuch*. Lieferung 21 (col. 961-1056: ὕκνης - φῶσα). Lieferung 22 (vol. 1057-1154: φύσαλος - ὤψ). Carl Winter Verlag, Heidelberg, 1969-1970.

Ex quo H. Frisk arduum suscepit opus anno 1954 edendi hoc lexicon graecum etymologicum, fasciculi leniter sed tuto quasi iter facientes ex officina libraria C. Winter Heidelbergae prodierunt. Auctorem editoremque salvere iubemus quod optimis omnibus duos fasciculos suscepimus ultimos quibus operi feliciter imponitur finis. Hoc opere absoluto credimus lexicographiam graecam in quaestionibus ad etymologiam vocum quae spectant, magnopere summo gaudio atque utilitate studiosorum peritorumque linguae graecae locupletatam esse, ita ut qui deinceps rationem cujuslibet verbi graeci etymologicam inquirendam suscipiat, hoc lexicon Prof. H. Frisk necessario adeat consulendum.

CANCELLI, F. — *Marco Tullio Cicerone: Le leggi*. Arnoldo Mondadori Editore, Firenze, 1969. Pag. 273. L. 2000.

Praeter italicam interpretationem, quam jure accuratam, Ciceronianae menti fidelem hodiernoque tamen dicendi generi accommodatam existimamus, Prof. Philippus Cancelli Ciceronis opus "De legibus" scitissima eruditissimaque instruit introductione. In ea lector inveniet auctorem disputantem de comparatione Ciceronis cum Platone, de exstructura et tempore quo scriptum "De legibus" est exaratum, de ejus doctrina philosophica, de fontibus philosophicis pri-

mi libri, de aestheticis historiographicisque rebus, de religione, de re politica. Duplici postea columna textus insequitur latinus videlicet et italicus trium librorum ciceronianorum. Unoquoque libro converso, per utiles adduntur annotationes quo res ciceronianae pateant dilucidiores.

LAUGIER, J. L. — *Tacite*. Edit. du Seuil, Paris, 1969. Pag. 190.

Quamplurimis Tacitus arcanus, abditus, obscurus videtur, tum quod ad personam scriptoris ingeniumque, tum quod ad dicendi genus aliaque aetatis adjuncta spectant. Nonnihilo vitae Taciti revelare J. L. Laugier hoc opere sibi proposuit, nam juxta auctoris sententiam Tacitus multo minus quam videtur arcanus est et inter historiam et fabulam quandam cum eo necessitudinem familiaritatemque videre possumus, ita ut ante oculos nostros vivus inducatur. Tacitus ipse, si scripta ejus intento animo inspicimus, aetatem revelat suam ut et Plinii Junioris litterae et inscriptiones et monetae et monumenta et poetae. Praeterea Tacitus homo publicus fuit: senator, in quindecimviris adnumeratus, consul, Asiae proconsul, saepissime Plinii litteris memoratus.

COCHRANE, C. N. — *Cristianesimo e cultura classica*. Società editrice IL MULINO, Bologna, 1969. L. 6800.

N. Cochrane, clmvs. historiae Professor, investigare nititur hoc opere evolutionem quae peracta est aetate sane illa qua christianorum doctrina ac religio per totum terrarum orbem graecum atque romanum pervulgatae sunt. Quapropter initium sumit auctor ex tempore augusteo, quod sibi videtur quasi expressio summa cogitationum liberalium quas

plurimi rei publicae sapientes habuerant statum quodam modo considerando ut naturalem condicionem ad liberum personae humanae incrementum atque perfectionem. Qua rerum politicarum humanarumque ratione imperatores eo plane intendebant ut ordinem in perpetuum duraturum constituerent atque stabilirent. Ita sese imperatores humanissimi saec. II usque eo gesserunt donec ea personae humanae reverentia atque stabilitas tardiore imperio deperdita est. Etsi Constantinus magnopere adlaboravisset religione christiana fretus ad eum ordinem politicum socialemque restituendum, ejus tamen tentamina in irritum inciderunt adeo ut magna inde exoriatur quaestio seu interrogatio de terrena civileque nuntii christiani significatione. Responsa e patribus postnicenis in primis ex Augustino eruuntur; qui omnes cogitabant civitatem terrenam hominum immo etiam christianorum explicationem seu defensionem tantum habere, quamvis ad tempus, in vera illa "Dei civitate".

PALADINI, V. — DE MARCO, M. — *Lingua e letteratura mediolatina*. Casa editrice Prof. Riccardo Patron, Bologna, 1970. Pag. 317. L. 4400.

Transitus sane rerum exstat Medium Aevum. Quam indolem illius aetatis investigare sibi proposuerunt clmi. auctores ad rem linguisticam ac litterariam quod spectat, ut aliquam utilitatem afferrent scholasticis in primis universitariis. In amplissima enim vero dictione litteraria medii aevi Prof. Paladini et De Marco summam seu compendium efficere conantur praecipua illa tantum opera inquirendo quae specialem auctoritatem momentumque artisticum, historicum, litterarium haberent. Praefatione peracta, in duas opus partes divi-

ditur quarum prima "*Lingua Mediolatina*" inscribitur, ubi de lingua litteraria et vulgari, de linguae litterariae elementis, de linguae evolutione, de generum litterariorum traditione atque innovatione peritissime agunt auctores. In altera vero parte cui est index "*Letteratura Mediolatina*", litterae barbarae, carolinae, feudales, scholasticae, eruditae pertractantur. Indice linguistico, rerum notabilium nominumque explicit liber.

CASTAGNOLI, F. — *Topografia e urbanistica di Roma antica*. Istituto di Studi Romani, Cappelli Editore, Bologna, 1969. L. 6000.

En tibi, si tua interest Romam ea qua erat urbanistica ratione constituta recognoscere, mira clmi. Prof. F. Castagnoli descriptio recentissimis archaeologiae adjumentis peracta. Indicem universum inspiciamus oportet ut aliquam tanti operis notitiam adipiscantur lectores: Caput I. — *Gli elementi geografici*. Caput II. — *Storia della città* ab ejus originibus usque ad Vandalorum irruptionem. Caput III. — *Popolazione e amministrazione della città*. Caput IV. — *Gli elementi della urbanistica*, ubi plateae, strata, moenia, aquarum ductus, cloacae, pontes, aedes, aedificia publica, basilicae, porticus, aedificia ad spectacula habenda, thermae, bibliothecae, aulae, pinacothecae, tabernae, mercatus, horrea, statuae, columnae, arcus, fontes, putei, nymphaea, domus, horti, sepulcra vivide describuntur ad optimas imagines photographicas, quae in extremo opere prostant, auctoribus lectores conferentibus. Caput V. — *Caratteri dell'urbanistica di Roma*. Caput VI. — *Aspetti culturali ed umani dell'urbanistica di Roma*. Caput VII. — *L'idea di Roma e i monumenti antichi*.

Appendice annotationes varii ge-

neris colliguntur (parte I), necnon per ampla offertur lectoribus bibliographia (parte II), corrigenda et addenda demum prostant cum indice analitico et imaginum photographiarum quibus res in opere illustrantur.

GOTTFRIELD, G. — *Estudios de psicología pastoral*. Ed. Studium, Madrid, 1969. Pág. 221.

In ditione pastorali plures arctioresque in dies videntur necessitudines Theologiae cum Anthropologia recentis, sive Psychologia, sive Sociologia, sive Medicina. Hoc in praesens volumen hac via procedit. Quaestiones maximi momenti recognoscuntur atque retractantur, quarum plurimi duces spirituales, confessores, paedagogi conspectum quendam universum habere volunt scientiarum harum recentium rationibus hodiernis usi. In libro G. Gottfried minime formulas quasi tutas commodare contendit sed materiam tantum colligit ad quandam rationem seu theoriam pastoraalem futuram, ubi species hominis christiana nequaquam praetereatur. Qui volumen manu versaverit haec inter plura inveniet: La angustia del hombre moderno; Masturbación juvenil; El hombre en espera de su salvación; Educación; Autoeducación del maestro; Formación para el sacerdocio; Lagunas de la educación sacerdotal de nuestros seminarios; Desaliento y confianza en Dios del sacerdote.

CASTORINA, E. — *Petronio Arbitro: Dal "SATYRICON": "Cena Trimalchionis", "Troiae halosis", "Bellum civile"*. Casa Editrice Prof. Riccardo Patron, Bologna, 1970. Pag. 234. L. 3500.

Haec Petronii interpretatio non integra —ita auctor mentem aperit

suam— qua textum apparatu critico destitutum sed critica jam ratione stabilitum comitamur ad hujus corporis usum, quamquam in lucem prodit post plurimas versiones petronianas quae Fellini taeniloae photographicae causa floruerunt, nihil tamen cum eis certare contendit. Praecipuus enim hujus laboris finis est planum facere *SATYRICON* haud dubie auctoris ignoti opus esse, non aetatis neronianae sed saeculi II p. Chr. ineuntis, cujus in spirituali temperie opus inde constituamus oportet. Quod nihil obstat *Satyrici* merito artistico sed ampliorem ei conspectum culturalem tribuit, ut patet ex duobus praecipuis excerptis poeticis quae supersunt Cenaeque Trimalchionis adduntur.

Praeter per amplam introductionem ubi "Satyricon" hac ratione tractatur: 1. Il "Satyricon" e la questione. 2. L'ambiente storico e sociale. 3. Il "Bellum civile" e la "Troiae halosis". 4. La questione della lingua, post non nullas annotationes textus prostat latinus italica interpretatione instructus.

CÁNOVAS DEL CASTILLO, J. M. — *Diálogo*. Ed. Apostolado de la Prensa, Madrid, 1966. Pág. 198.

Vox "dialogus" saepissime in omnium ore personat. Dialogum seu colloquium dicimus cum Deo et cum omnibus hominibus optima voluntatis qui sive intra Ecclesiam sive extra eam in orbe terrarum conversantur. Sed priusquam cum hominibus colloquamur, cum Deo nobis loquendum est. Idcirco primum cum Deo colloquium: sermonem cum Deo habere, Deum auscultare, mentem veracrationis cibo enutrire. Quam ob rem Pater J. M. Cánovas del Castillo hoc volumine quod "DIALOGO" inscribitur, uberem suppetit materiam ad

cogitandum cum Deo de varia re colloquendo.

GOSZTONYI, A. — *El hombre y la Evolución. La Antropología Filosófica de Teilhard de Chardin*. Ed. Studium, Madrid, 1970. Pág. 229.

“Centrum cogitationis Teilhard —ut ipsius Alexandri Gosztonyi verbis in praefatione utamur— occupat homo”. Quapropter ab auctore ea quae ad anthropologiam teilhardianam explicandam necessaria ducuntur, subtiliter tractantur. Opus quod recensendum curamus, expositio quaedam est universa praecipuarum quaestionum in omnibus operibus a Teilhard de Chardin agitarum sub evolutionis tamen luce conspectarum. Haud parvum adjumentum fore pro certo habemus hoc volumen iis in primis qui in doctrina anthropocentrica ad mentem Teilhard de Chardin investiganda operam insumant.

GUERRERO, E. — *Teilhard de Chardin*. Ed. Studium, Madrid, 1969. Pág. 179.

Si opera Patris Teilhard de Chardin, in iis quae ad humanas divinasque res maxime spectant, nulla haberent merita, nemini dubium esset quin tam accurate penitusque ejus scripta a peritissimis quibusque investigatoribus explorata sint et quam plurima de re opera exarata, adeo ut veram eamque per amplam bibliothecam constituent. E. Guerrero in tanta bibliographia teilhardiana id sibi hoc opere proposuit: fideliter mentem Teilhard de Chardin exponere ut lectores habeant veram praecipuorum cogitationum teilhardianorum cognitionem viamque tutam assequantur, ne nimis urgeri patiantur a vehementibus Teilhard sectatoribus neque ab infestis hostibus qui eum quasi heresis auc-

tores, populi Dei corruptorem ruinamque Ecclesiae Christi criminantur.

GARCÍA-SALVE, F. — *La joven que despertó mujer*. Ed. Studium, Madrid, 1969. Pág. 202.

Quarta haec operis editio —paucis annis tantummodo elapsis— signum est quanta in eo merita inveniantur quantoque studio puellae in primis susceperint volumen. Quasi breviarium exstat institutionis humanae christianaeque puellis praesertim quae materiam ad cogitandum ac legendum expetunt quae sibi incitamento inseruiat per ardua vitae itinera. Prima operis parte quasi indices viae dantur quibus itinera recte cognoscantur. Altera autem parte impetus datur atque incitamentum quo in summa juga ascensus fiat animosior. Nihil nobis dubii est quin puellae manu quasi ducendae sint hoc opere ut quondam jure maturae mulieres expediantur hodiernae puellae.

HILSDALE, P. — *Oraciones de San Pablo*. Ed. Apostolado de la Prensa, Madrid, 1966. Pág. 250.

Renovatio liturgica, studia biblica, progressus oecumenicus ardens apud christifideles suscitavit studium privatam habendi orationem quae Sacris Litteris in primis niteretur. Quam ob rem per opportunum volumen salutamus P. Hilsdale qui praecipuos sancti Pauli locos excerptos in orationis formam redegit, ita ut Paulus potius quam de Deo, cum Deo colloquens induci videatur. Quo factum est ut in libro et novitas et vis mira eluceant ad orationem habendam optima sapientia theologica humanaque condita. Utilissimum redditur opus indice tematico, indice orationum privatarum, indice orationum in Exerci-

tiis et Secessibus Spiritualibus recitandarum.

ZENETTI, L. — *Religión y música moderna*. Ed. Studium, Madrid, 1969. Pág. 290.

Nostris quidem temporibus quibus de re omni ab omnibus facile disputatur, sive de "Indice librorum", sive de matrimonio mixto, sive de lingua latina ejusque fortuna, sive de caelibatu clericorum, sive de "pilula" ceterisque materiis, quid mirum si hodierna musica sacra etiam in controversiam vocetur? Quidni, ut quorundam verbis utamur, cultus sacer nimis hieraticus vehementioribus numeris recentibus excitetur? Dum non nullae consociationes parochiales, coetus juveniles, folia periodica novam musicam optimo omine salvere jubent, alii "abominationem in loco sacro" vident... Hoc ergo libro L. Zenetti, juvenum parochus peritusque musicae jassicae ("jazz") spiritualiumque canticorum ("spirituals") cognitor lectorum facere vult certiores de statu quaestionis, de argumentis ac rationibus, de temptaminibus ad musicam recentem spectantibus.

EGENOLF, H. A. — *Segunda carta a los Tesalonicenses*. Herder, Barcelona, 1970. Pág. 105.

Qui commentarium H. A. Egenolf alterius epistulae ad Thessalonicenses legerit, laborem in exponendo accuratum exquisitumque percipiet, ita ut perspicue intellegat commentarium miram esse symbiosim quandam exegesis scientificae et curae pastoralis. Paulus namque apostolus vividam vitae communis in pristina Ecclesia praebet imaginem simul atque licentias falsasque doctrinas in eandem Ecclesiam irreperentes ciriminatur atque denuntiat; quae omnia impugnare sive Ecclesiae rectorum interest

sive fidelium christianorum qui sobrii vigilesque in fide inter homines versantur Dominum Jesum expectantes.

SCHIERSE, F. J. — *Carta a los Hebraeos*. Herder, Barcelona, 1970. Pág. 152.

Epistula ad Hebraeos in veteri iam Ecclesia tamquam scriptum specialis indolis inter libros sacros aestimabatur. Itaque epistula, etsi theologorum cogitatorum altitudine sit praedita, tamen non nihil saepe de auctoritate distractum est qua reliquae epistulae paulinae fruuntur; nemo autem hodie de ejus canonica acceptione dubitaret. Auctor enimvero — qui forsitan quidam sit theologus vel sacrarum litterarum peritus vir — considerationibus theologis superare contendit et fidem titubantem morumque debilitates in christianis illius aetatis et inimicitiam mundi apostasiaeque periculum; quae omnia illa Ecclesiae adjuncta cum a nostris nihil fere discrepent, hoc F. J. Schierse commentarium ad Hebraeos magno nobis erit adjumento qui eisdem periculis versamur.

SCHWANK, B. — *Primera carta de San Pedro*. Herder, Barcelona, 1970. Pág. 145.

Benedictus Schwank, qui apud suos Ordinis Benedictini sodales theologiam tradit, bene gessit quod primam Beati Petri apostoli epistulam commentario ad animi commodum spirituale instruxit. Haec enim Petri epistula fuit consolatoria Ecclesiae omnium temporum, quam et fides et mens ad optima referens omnia et visio historiae universae christiana, magna fortitudine solacioque in rebus adversis affecerunt. Vix in scriptis Novi Testamenti inveniri aliud potest

quod tam recte pristinae communitatis christianae spiritum ostendat; in ea enim epistula praecipua Ecclesiae primae in credendo et in cogitando declarantur, quibus oratio nostra ad Dominum altiores sensus nanciscitur theologicum et ecclesiale.

LÓPEZ RIOCEREZO, J. M. — *Hacia una auténtica educación sexual*. Ed. Studium, Madrid, 1969. Pág. 164.

Si quid inter plura humanum genus magis per saecula forsitan neglexerit nihil aliud videtur quam de sexualitate in minoribus quaestio. Adulescentes enim naturali suae curiositati satisfacere coacti, non aliter plerumque id assequabantur nisi clam rem vel locos vel personas minime ceterum commendabilia adeundo. Quod malum vel alia pejora vitandi causa, auctor omnes ad sexum quae spectant quaestiones audacter aggreditur tractandas eo quidem consilio ut parentes et juvenum institutores ad manus praesto habeant optima eaque necessaria in re adjuncta. En paucis verbis opus quod verum est compendium ubi simpliciter sed scientificè de rebus quae sexum nostrorum minorum attingunt J. M. López Riocerezo disertè ac dilucide agit.

STÜNZI - BODMER - SPÖRRI - HERRMANN. — *Educación sexual*. Ed. Studium, Madrid, 1969. Pág. 80.

En quattuor de re quoque sexuali disputationes a peritissimis quibusque scriptoribus exaratae, quarum indicem lectoribus praebeamus: B. STÜNZI, *La sexualidad en el desarrollo del niño*; H. G. BODMER, *La educación sexual en la escuela*; K. SPÖRRI, *Peligros sexuales y Derecho penal juvenil*; A. HERRMANN, *Fe y educación sexual*. Opus nemo improbabit quip-

pe quod et parentibus et sacerdotibus utilissimum videatur, praesertim cum institutio religiosa minime tantum in doctrina christiana edocenda circumscribatur verum etiam quasi ad aetatem adultam et ad ejus praecipuas quaestiones sit introductio, in quibus sine dubio quaestio de rebus ad sexum spectantibus vehementissime ab omnibus agitur.

L. DOMINIQUE. — *Vivir su verdad: "El diálogo de Sor Sonrisa"*. Ed. Herder, Barcelona, 1968. Pág. 194.

L. Dominique —vulgatiore nomine apud hispanos "Sor Sonrisa"—, quae ob dulcissimas ejus cantilenas undis radiophonicis et televisivis per orbem longe lateque diffusas nemini est incognita, vitae suae privatae librum legentibus praebet, in quo non solum vocationis suae quasi secretum nobis revelare contendit sed etiam verum ac genuinum nuntium nobis quoque concredere. Indolem hujus libri spiritualement significare opus est, nam L. Dominique continuum eumque naturalem sermonem cum Christo sponte sua conserit quo animi legentium arripiuntur. Is namque qui legerit, statim exquisitum L. Dominique percipiet ingenium in historia vocationis ejusque progressibus enarrandis. Nihil dubii est quin hoc testimonium cognoscere magnopere intersit ad novum Ecclesiae vultum contemplandum, quae sese temporibus accomodare exoptat verumque dialogum cum aequalibus habere contendit.

VARIOS. — *Guía de formación social*. Ediciones y Publicaciones Españolas. (E.P.E.S.A.), Madrid, 1968. Pág. 158. Ptas. 80.

Opus a peritissimis in re viris

conscriptum necessitati respondet adulescentes instituendi in doctrina sociali christiana, prout nostra aetate Pontificum Romanorum Joannis XXIII ("Mater et Magistra") et Pauli VI ("Ecclesiam suam") instantior cura expostulat. Quapropter auctores communem navarunt operam ut juvenum institutores manu eos quasi ducerent hujus libri adjumento ad ineundam rerum socialium disciplinam institutionemque; hoc enim auctoribus fuit propositum: hominem in adulescentibus conformare socialem, communis operae capacem, ad colloquium cum aliis hominibus apertum. Ecce totius operis index, cujus res tractandas maxime cognoscere omnium intererit: 1. — *Formación social*. 2. — *Nuestra realidad social*. 3. — *Actitudes sociales que hay que desarrollar*. 4. — *La educación es un proceso de socialización*. 5. — *Aplicación a diversos niveles o ambientes. Técnicas especiales*. Anexos.

A. PADOVANO. — *El Dios lejano. El hombre moderno en su búsqueda de su fe*. Ed. "Sal Terrae", Santander, 1968. Pág. 225.

Si quo signo annotatur hodierna theologia, quis dubitet curam in primis esse pastorem? Recentissima enim theologia vincula potissimum quibus homines conjunguntur inquirat, hac vero nostra aetate qua omnes fere homines in operam communem adlaborare nituntur in iis quae ad humana maximi momenti negotia pertinent. Nullum tamen negotium hominibus praestantius quam quid de Deo cogitent vel quo pacto de Deo exprimant opinionem. Auctor igitur has quaestiones hoc volumine aggreditur inquirendas atque persolvendas: quo modo sacerdos vel laicus christianus colloqui hodie debet cum aliis

hominibus qui cum divinum mysterium sentiant, tamen id nomine atque expressione donare nesciunt? quae dicenda iis qui ut puri merique homines viventes quandam beatitudinem sunt assecuti, etsi exilitate ac vacuitate vitae imo pectore excrucientur? Aequales nostros et cum amore et cum libertate animi colloquamur oportet. Opus auctor in duas partes dividit quarum ecce prima: Recens homo se ipse inquit vitaeque propriae significationem: "existentialismi" doctrinae praecipui duces inducuntur: J. P. Sartre, M. Heidegger, K. Jaspers, S. Kierkegaard, G. Marcel, praeter non nullos in litteris egregios scriptores ut F. Dostoyevsky, T. Wolfe, F. Kafka, A. Camus, J. D. Salinger, W. Golding, V. Orwell, D. Hammar-skjold, I. Bergman. In altera parte qualis ab Ecclesia Catholica nostra aetate Deus hominibus sit proponendus disputat auctor testimoniis fretus Scripturarum, Ecclesiae, ipsorum hominum de Deo uno ejusque personis, amore, intellegentia ceterisque maximi momenti argumentis theologicis.

HERDER. — *Nuevo Catecismo para adultos*. Versión íntegra. Ed. Herder, Barcelona, 1969. Pág. XXIV-512. Ptas. 300.

Novus adultorum Catechismus ab Instituto Superiore Catecheticae in urbe Nimega praeparatus, jam diu inde desiderabatur ex quo periti hollandici textum ad institutionem religiosam tradendam animadverterunt, prout recens disciplina pastoralis ex-postulabat, minime veteri rationi ac viae obnoxium nostris temporibus esse hominibus impertiendum. Adeo ergo in re periti in communem operam incubuerunt ut ab episcopatu hollandico catechismus novus probaretur



annoque 1966 in lucem ederetur. Novus adulatorum catechismus non tantum in Hollandia optimis omnibus ex officinis librariis prodiit verum etiam ubicumque locorum est vulgatus, ibi omnium plausu susceptus est. Quod apud hispanica lingua loquentes idem contigit. Namque domus editrix Herder hispanicam interpretationem vulgandam dederat accuratissimam, qua textus integer a peritis hollandicis exaratus legentibus tradebatur. Ut opus omnino absolveretur editores duobus appendicibus documenta collegerunt, ubi argumenta consignantur quae vehementius in controversia exagitantur, necnon et praecipua corrigenda quae ex auctoritate ecclesiastica adjungi textui debent. Salvere ergo jubemus novum adulatorum catechismum hollandicum quo nuntius christianus dicendi genere hodierno hodiernis hominibus promulgatur.

DREISSEN, J. — *Diagnóstico del catecismo holandés*. Ed. Herder, Barcelona, 1970. Pág. 153. Ptas. 100.

Paucis paginis prof. J. Dreissen adspetus exponit psychologiae religiosae, paedagogicos, sociologicos, quos auctores in conscribendo Catechismo Hollandico ante oculos habuerunt. Tribus capitibus quorum index: I. Estructura del "Catecismo holandés". II. La estructura fundamental antropológica y cristológica del "Catecismo holandés". III. Correspondencia de la imagen del hombre y la imagen de Cristo. IV. Lo nuevo en el "Catecismo", et externa et interna exstructura catechismi inquiruntur, ut jure discriminentur res quae in eo laudantur vel improbantur. Hoc volumine fontes hollandici de re adeuntur, praesertim vero et ipse Catechismus et "Grondlijnen voor een vernieuwde schoolcatechese" quae in-

scribuntur. Ubi amplam Catechismi expositionem J. Dreissen fecit, postea de impugnationibus agit, adeo ut prudens accuratumque fiat examen rerum seu argumentorum in primis quae minus certa in disceptando criticis videantur.

HÄRING, B. — *Shalom: Paz. El sacramento de la reconciliación*. Ed. Herder, Barcelona, 1970. Pág. 358.

B. Häring, qui ex opere quod "La ley de Cristo" inscribitur, omnibus est notissimus scriptor, novum de disciplina morali volumen conscripsit sub hebraico indice quo "shalom" id est "pax" significatur. Hoc opere sibi auctor proponit de poenitentiae sacramento disserere tamquam de vehiculo quo pax Dei hominibus afferatur. Jam diu de hoc sacramento cum tristitia quadam atque timore actum erat; B. Häring contra tamquam summae laetitiae, magnae spei, optimi nuntii pacis diutissimae sacramentum poenitentiae contemplatur, quippe qui homines eo tantummodo cum Deo proximisque concilientur. Eximius theologus moralis munus confessarii considerat tamquam officium "fratris inter fratres", "nuntii gaudii pacisque"; non nullis capitibus de conscientia rite conformanda agit, quod omnino necessarium auctori videtur ad maturitatem christianam adquirendam. Prae ceteris caput XVIII eminet, ubi ultimae B. Häring opiniones exponuntur de quaestionibus sexualibus atque conjugalibus dilucide, sobrie, prudenterque tractatis.

J. LACROIX. — *Los hombres ante el fracaso*. Ed. Herder, Barcelona, 1970. Pág. 280. Ptas. 240.

"Casus adversus" (hispanice vulgo "el fracaso") e media cogitatione vi-

taque hominum assurgit. Ideo pertissimi in re viri in communem operam incumbentes J. Lacroix moderante, "casum adversum" ejusque genera penitus investigare conantur ut inde quandam universam philosophiam eruant atque constituent. Duo itaque psychologi (J. Nuttin et R. Carpentier) philosophiam experimentalem "casus adversi" in modo quo mutuo homines communicantur. Rei oeconomicae peritus investigator (F. Perroux) et ethnologus (J. Poirier) "casum adversum" ostendunt hodiernae nostrae oeconomiae, tertii quoque mundi qui dicitur, et eorum populorum qui summum progressum attigerunt. Medici et psychiatrae (J. Sarano, J. Hochmann, A. Levy-Valensi) quaestiones medicas pertractant atque temptare nituntur psychoanalysisim, phoenomenologiam, ontologiam quandam "casus adversi". Y. M. J. Congar, A. Dumas, A. Neher de "casus adversi" indole adspectuque regiosis agunt. R. Guilead tandem quid de "casu adverso" apud Heidegger philosophum, R. Scherer quid de critica humanismi, et T. Andréani quid de ultimi nostri humani cultus sensu cogitandum, eruditissime agunt.

KAMPMANN, Th. — *Conocer para educar. Fundamentación psicológica de la pedagogía*. Ed. Herder, Barcelona, 1970. Pág. 258.

Th. Kampmann hanc sententiam defendit: pueros antequam instituenti omnino eos penitusque esse cognoscendos. Quod est operis hujus propositum. Ut id assequatur auctor in paidologiam seu cognitionem pueri et in paedagogiam seu pueri ductionem scientifica ratione incumbit, notitias maximi momenti institutoribus parentibusque tradit de aetate puerili dilucidasque affert jam inde a prima infantia explicationes de proclivitate

puerorum in narrationes, fabulas mythosque. Harum rerum universique mundi puerorum cognitionem per necessariam existimat auctor esse ut pueri recte in societatem integrentur atque conformentur. Cujus integrationis processus in adultorum mundum magnopere in lingua per matrem puero tradenda nititur, praesertim cum pingua quasi unum vehiculum idque praestantissimum videatur quo in puerum perveniant experientiae quibus majores natu cumulantur.

J. LAPLACE. — *El sacerdote. Hacia una nueva manera de existir*. Ed. Herder, Barcelona, 1970. Pág. 320. Ptas. 175.

Viginti annis ultimis labentibus, auctor, qui quamplurimis secessibus spiritualibus conventibusque sacerdotum interfuit, jure autumat sacerdotium nostris temporibus in summo discrimine seu crisi versari; quod tamen discrimen idem est atque omnis hominis recentis, discrimen videlicet universae ipsius Ecclesiae. Tam summi momenti quaestio minutis perfunctoriisque rationibus minime persolvetur. Quod sacerdos communi hominum veste aut talarum induitur, quod parociale domum habitat aut aliam inter alios homines, quod in fabrica laborat aut tempus integrum sacro tribuit ministerio his omnibus patet sacerdotem non nullas superavisse difficultates sed alias obviam ei novas esse venturas, si prius et ipse et per se ipsum quaestionem summam hominis et credentis nondum persolverit. J. Laplace opus conscripsit ut sacerdos se ipse tandem inveniatur; quae quaestio seu difficultas ne sacerdotis quidem una esse videtur sed omnium fere hominum, adeo ut omnium hunc librum legere magnopere intersit.

MARIANUS MOLINA, C.M.F.

# BIBLIOGRAPHIA

QUOIST, M. — *Cartas de amor*. Herder, Barcelona, 1970. Pág. 270. Ptas. 125.

M. Quoist nimium omnibus est notus superioribus illis operibus quae "AMOR: DIARIO DE DANIEL", "DAR: DIARIO DE ANA MARIA" inscribuntur quaeque felicissimum exitum bibliographicum toto orbe terrarum apud juvenes juvenumque institutores habuerunt. Hoc opere litteras quasdam amatorias adolescentibus largiri auctori visum est. Quibus quidem litteris — quae genuina, non ficta, testimonia exstant — plane declaratur quo pacto duo juvenes futuram vitam communem providere atque aedificare contendant, quanta virtute studioque quotidianas aggrediantur difficultates easque superando in amorem mutuum mutuamque reverentiam, plena officii sui conscientia, caeco tamen sui jam amore devicto, feliciter perveniant. In hoc opere juvenes invenient mundum meliorem quem suis somniis crebro expetunt, quo et desideria et certamina et studia juvenilia vehementissime intendunt.

SCHNITZLER, Th. — *Los cánones y los nuevos prefacios de la misa*. Comentario y reflexiones. Ed. Herder, Barcelona, 1970. Pág. 307.

P. Theodorus Schnitzler qui in disciplina liturgica nobilis exstat auctoritas atque ad eam instaurandam in Commissione Pontificia enixe adlaboravit, hoc volumine duo opera quae tempore currente in lucem ipse prodidit, nunc quasi in unum redegit:

primum videlicet opus in quo in Canonem Missae Romanum incumbit, alterum vero ubi tribus vacat aliis Canonibus qui una cum novis Praefationibus a Commissione Pontificia sancti sunt. Admonitos velim lectores prof. Th. Schnitzler in iisdem Canonibus exarandis operam navavisse; nemo ergo alius eo praestantior ut compendium historicum Canonum perficeret cum fontibus e quibus tam venerandi textus emanaverunt et ut commentariis theologia atque spiritualitate christiana imbutis eos quoque instrueret.

RAHNER, K. — *Servos de Cristo*. Ed. Herder, Barcelona, 1970. Pág. 265.

Hoc volumine non nullae colliguntur disputationes ab eximio theologo conscriptae vel habitae ultimis annis labentibus. Quae tamen disputationes unitate quadam thematica congregantur: sacerdotii theologia atque spiritualitate. En quae attinguntur de sacerdotio argumenta: fides sacerdotis in mundo exstructurarum socialium quae saepissime spiritui christiano nequaquam favent; caelibatus sacerdotalis tamquam mira facultas vitam christianam plane absoluteque vivendi; oboedientia sacerdotis, ejus sanctitas, ejus frequens confessio sacramentalis aliaque id genus argumenta quae sacerdotium spectant. Harum meditationum theologia, pietate fideque religiosa imbutarum lectionem pro certo habemus optimam frugem esse animis laturam.

MARIANUS MOLINA, C.M.F.

# Libri qui inscribuntur "TEXTOS PALAESTRA"

VENALES PROSTANT APUD OFFICINAM LIBRARIAM

## EDITORIAL CLARET

LAURIA, n.º 5

BARCELONA (10)

---

|  |          |
|--|----------|
| JIMÉNEZ, Repetitorium ... .. ptis.                         | 70       |
| » De Orthographia latina (altera editio).                  | » 20     |
| PLANQUE-PLANAS, Gramática Griega (altera editio).          | » 100    |
| «TEXTUS» ANNOTATIONIBUS PRAEDITI                           |          |
| JIMÉNEZ, <i>Historiae Sacrae compendium</i> (5 edit.).     | ptis. 12 |
| » <i>Epitome Historiae Graecae</i> (6 edit.) ...           | » 12     |
| RAMOS, <i>Corneli Nepotis Vitae</i> ... ..                 | » 12     |
| MIR, <i>Ciceronis epistulae selectae</i> (2 edit.) ... ..  | » 14     |
| JIMÉNEZ, <i>Ciceronis pro Archia poëta</i> (2 edit.) ...   | » 12     |
| » <i>Ciceronis in Catilinam</i> (2 edit.) ... ..           | » 12     |
| RAMOS, <i>Ciceronis pro Q. Ligario oratio</i> ... ..       | » 12     |
| MARTIJA, <i>Vergili Aeneidos</i> (lib. II, 2 edit.) ... .. | » 16     |
| MARTIJA, <i>Prudenti Carmina selecta</i> (2 edit.) ... ..  | » 12     |
| SARMIENTO, <i>Martialis Epigrammata</i> ... ..             | » 10     |
| ZULOAGA, <i>Horati Carmina Selecta</i> ... ..              | » 14     |
| RUIZ, <i>Homeri Odyssea</i> (lib. I) ... ..                | » 14     |
| RAMOS, <i>Xenophontis Anabasis</i> ... ..                  | » 12     |

---

## Fundació Bernat Metge

SCRIPTORUM CLASSICORUM BIBLIOTHECA CATALAUNICA

Veterum Graecorum et Romanorum textuum editiones brevi apparatu critico instructae, necnon praefationibus notisque translationem catalaunicam ex adverso adjectam illustrantibus. Volumina nuper emissa:

Suetoni - Vides dels dotze cèsars (vol. III)

Tàcit - Annals (vol. IV). Llibres XII - XIII

Tàcit - Annals (vol. VI). Llibre XVI

Herodes - Mimiambes

Subnotationes mittantur ad:

EDITORIAL ALPHA, S. A.

Vía Layetana, 30 - BARCELONA